CAROLI STRACK

Medic. Doctoris, & in Universit. Moguntinâ Instit. medic. Profess. Publ. Eminentiss. ac Celsiss. Principis Electoris Mogunt. Judic. Aul. Consil. Electoralis utilium Scient. Acad. Erford. Socii

OBSERVATIONES MEDICINALES DE MORBO CUM PETECHIIS ET QUA RATIONE EIDEM MEDENDUM SIT.



CAROLSRUHAE
EX OFFICIN. AULIC. MACKLOTIANA.
M DCC LXVI.

5

Eum verò rectè curaturum, quem prima origo causæ non fefellerit.

A. C. CELSUS
de Med. Lib. I. in Præfat.

VIRO

ILLUSTRISSIMO

GERARDO

L. B. VAN SWIETEN

AUGUSTISS. IMPERATOR.

ET IMPERATRIC.

A CONSILIIS ARCHIAT.

COMITI

BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ

PRAEFECTO

INCLYTÆ FACULT. MEDIC.

VIENN.

PRAESIDI PERPETUO

ACAD. REG. SCIENT. ET CHIRURG.
PARIS. PETROPOL. IMPERIAL. NATUR.
CURIOS. INSTIT. BONON. COLLEG.
MEDIC. REGII EDINBURG. SOCIET.
SCIENT. HARLEM. BOTANIC.
FLORENT. GERMAN. JENENS.
DEGLI AGIATI DI ROVERET.

MEMBRO

CAROLUS STRACK

D. D.

- - - - quodcunque meæ poterunt audere Camœnæ,
ſeu TIBI par poterunt, ſeu, quod ſpes abnuit, ultrà;
ſive minus, certèque canent minus; omne vovemus
hoc TIBI; ne TANTO careat mihi NOMINE charta.

TIBULLUS ad Meſſal.

Petechiarum morbus, de quo librum scripturus sum, nunquam quidem non accedit; veruntamen, quoniam is potiſſimum militiæ per communis eſſe conſueſcit, utique poteſt pro Militum morbo haberi.

Equidem ego ſemper putavi; omnem induſtriam operamque perquirendis explorandisque iis potiſſimum morbis impendendam eſſe; qui perexitioſi ſunt: ſive quòd hi per ſe tales ſint; ſive quòd horum cauſæ origo nos fallat; ſive denique quòd repertum tutum aliquod remedium nondum ſit: maximè verò ubi populares iidem eveniunt. Quidquid verò in ipſis curationibus ùt certum exploratumque inventum fuerit; idem ingenuo liberalique animô in medium proferendum eſſe.

Ob quam causam cùm iste quidem morbus nuper, maximèque âb annô 1760 in Urbe Agrisque Moguntinis popularis fuisset, perque aliquot deinde annos circumeuns hominum multos jugulâsset, omnem, quâ polleo, animi contentionem ejus causæ pervestigationi, &, quâ tutò submoveri possit, rationi diligentiam impendi; omniaque, quemadmodum interea temporis juxta 400 tales ægros observando attigi, calamo notavi. Veluti nunc sine multâ verborum ambage & sepositâ disputationum contentione proponam. Orsus â certis & exploratis. Sic quivis eâdem quasi viâ mecum incedens veritatem sine multâ controversiâ & facile cognoscet, & morbum tutò submovebit. Quod est, cur scribam.

Scripsi Moguntiæ anno 1766.

CARO-

CAROLUS STRACK, *Medic. Doctor, in in Universitate Moguntinâ Institutionum Medicarum Professor publicus & ordinarius, Eminentissimi & Celsissimi Principis ac Elector. Mog. Judic. Aulic. Consil. Facultatis Medicæ Assessor Ordinarius, Elect. utilium Scientiarum Academ. Erfordiensis Socius. Subjecit censuræ Facultatis Medicæ librum, cui Titulus:* Observationes Medicinales de morbo cum petechiis, & quâ ratione eidem medendum sit.

Liber hic ex solis observationibus natus describit morbum cum petechiis Epidemicè annis 1760 & sequentibus grassantem, unà cum aliis morbis intercurrentibus, in quo Author omni hypothesi & præjudicio liber solam naturam per morbi decursum observans solidè & enucleatè ostendit naturam, signa, causas, sedem, symptomata, morbos intercurrentes & supervenientes, unà cum eorum curandi methodo, sinistras similiter horum morborum medendi methodos perstringit & enervat.

Cùm ergo hoc opus in curatione ejusmodi morborum rectam medendi methodum patefaciat, taliáque contineat, quæ frustra in reliquis Authoribus quæruntur, utpote quod adhibito severissimo judicio á solá morbi naturá ex centum & ultra observationibus natum est, cúmque nihil falsi aut suspecti in eo inveniatur, sed potius incrementum, & non leve decus rebus Medicis afferat, hinc dignum, ut imprimatur, censemus & judicamus

FRANCISC. GEORG. IGNAT. ITTNER. M. D. Eminentiss. ac Celsiss. Princip. Elector. Mogunt. Consiliar. Aulic. & Archiater. Anatom. & Botan. Profess. public. & ordin. Nosocomii Milit. Physicus. Facultat. Med. h. t. Decanus.



OB-

OBSERVATIONES MEDICINALES
DE
MORBO CUM PETECHIIS
ET
QUA RATIONE EIDEM MEDENDUM SIT.

CAPUT I.
AN, ET QUANDO PETECHIARUM MORBUS SIT?

Ardua Medicos inter diſputatio dubiumque eſt; ſcilicet Petechiæne in morbis per ſe contingant, an arte fiant?

Utrumque prolatis rationum momentis & adductis Scriptorum authoritatibus atque propoſitis curationum experimentis defendunt: ſuæ quique tenaces ſententiæ.

Alii enim Petechias non per ſe exiſtere, ſed calefacientibus medicamentis atque

calidâ curandi ratione excitari ſtatuunt; ſcilicet quoniam per ea febris, quæ eſt, magis exardeſcit, exque eâ omnes univerſi corporis humores ad extremam cutim vehementiùs propelluntur.

Contrà verò alii Petechias ortas â privato aliquo vitio eſſe ſuſtinent. Atque horum rurſum alii tanquam criticas eas intuentur; per quas morbus ipſe finem habiturus eſſet: ideoque easdem adhibitis calefacientibus auxiliis & movendo continenter ſudorem perficiendas eſſe poſtulant: quoniam ſi iſtæ quidem maculæ vel propter externum aliquod corporis frigus, vel propter alvi profluvium, ſi quod incidit, intus revertantur, conclamatum eſſe de ægro exiſtimant.

Cùm hæc per multa volumina perque magnæ contentionis diſputationes à Medicis ſæpe tractata ſint atque tractentur: ſubjiciendum eſt, quæ proxima vero videri poſ-

poſſint. Igitur, quæ demum cauſæ Petechias excitent, quomodo hæ à privatô quopiam vitiô proveniant, nec arte fiant; cur eædem non ùt critica aliqua evacuatio poſſint intueri, nunc ponam.

Octo jam annos medicinam exercueram, plurimasque febres ante agitaveram, quàm tales quidem Maculas vidi. Quare etiam ipſe dubitaveram, Petechiæne medicinæ an privatæ cujuspiam rei vitio contingant? maximèque quoniam cum febres refrigerantibus auxiliis curâſſem, neque ægros medicamentis calefacientibus, neque exprimendo ſudorem, neque veſtimentis obruendo, neque multâ ſiti (ſecùs ac veterani olim noſtrates medici) vexâſſem, nullæ eo usque Petechiæ provenerant: utique viſum mihi erat, quaſi calidum curæ genus eas efficeret.

At verò menſe Junio anni 1755. in unâ eâdemque domo atque familiâ quinque ægros

ægros febre laborantes cùm accepiſſem, inque eorum cute ortæ nihilominus Petechiæ fuiſſent, quamvis ægris & medicamenta refrigerantia & tenuem potum liberaliter ingeſſiſſem; utique novi, has maculas â privatâ aliquâ causâ eſſe.

Proximô deinde annô 1756. etiam ità laborabat Juvenis annorum 23. At verò anno 1757 cùm Boruſſorum Rex bellum gerere cum Imperatore cœpiſſet, proptereaque congregati ingentes militum exercitus fuiſſent, variæque hominum gentes, quæ in auxilium venerant, maximam Germaniæ partem militibus impleviſſent, idem morbus illis temporibus & aliquot deinde adhuc poſt ſtatutam pacem annis percommunis inter nos extitit; maximè verò ineunte Vere anni 1760 ſæviit. Is initio quidem belli in Saxoniâ, Bohemiæque regno (ubi locorum & primæ lites & plurimi milites erant) anno 1757 orſus proximos homines corripuit; poſtea

poſtea verò magis evulgatus omnem verè Germaniam infecit: veluti epiſtolæ publicæ indicabant, & JOANNES FRIDERICUS GLASER in terris Hennebergicis medicus evulgatis typis prodidit *. Inſuper etiam ante nos medici, qui caſtra ſecuti ſunt, ſemper â Petechiarum morbo Milites, quotiescunque bellum erat, maximè offenſos fuiſſe ſcripſerunt.

Quare etiam iſtud vitii genus inter Militum Caſtrorumque morbos jure poteſt numerari.

C A-

* *Nüzliches Verhalten bey der jetzo in Deutſchland regierenden Fleckenfieber-Seuche*, Hildburgshauſen 1758.



CAPUT II.

QUAE SINT NOTAE PETECHIALIS MORBI?

Petechiæ, quæ ſunt, facilè videntur: difficile verò eſt noſſe in morbo, qui incipit, quòd Petechiæ futuræ ſint: namque tum non magna quidem ægrotatio eſt. Minimè verò fallitur is, qui in morbo, qui eſt, Petechias fore dixerit, ubi populares eædem exiſtunt.

Eſt autem morbi quidem ratio maximè talis. Incipiunt ægri imbecilli infirmique eſſe, atque è dorſo laſſi ſunt; ibidemque dolent. Dolent etiam capite. Somnum non capiunt. Quidam verò protinus juſtò plus dormiunt, neque tamen tali ſomno reficiuntur. Cibos nauſeant; maximè verò jura carnium ipſamque carnem horrent. Quidam arteriarum pulſum exilem eundemque

que, ſi ſenes ſint, inæqualem habent: quidam etiam lentum & ordinatum neque adeo imbecillum eundem habent. Rurſum ſunt alii mente hebetes bardique. Urinam ut [] plurimùm emittunt pellucidam, non rubram, ſed flavam, veluti ſani homines. Nonnunquam urina turbida jumentorum urinæ ſimilis evenit. Sæpè etiam profundè flava & ſpiſſa eadem eſt, veluti cereviſia turbida. Quorundam quoque urina viridis ſubnigraque eſt, atque ſedimentum flavum præcipitat. Alii erecti ſedent, tempuſque ità tranſigere ſtudent: neque tamen ſic diu manent; ſed proximè cubitum eunt, propterea quòd capite dolent totumque corpus laſſitudinem ſentit. Pallidi ſunt facie atque oculos cavos habent. Alii ventrem turgidulum gerunt; aliis vomendi deſiderium ſæpè eſt, alii etiam vomunt: nonnunquam aliis âb ipſò morbi principio putridum alvi profluvium eſt.

Septi-

Septimo deinde die (feriùs aut ociùs) fuccrefcit febris; quæ magis atque magis exardefcit. Nonnullos etiam febris protinus prehendit. Urina rubra exit; noctem ægri vigiliis tranfigunt; & ubi oculos claudunt, fomnum capturi, delirare incipiunt.

Demum calor crefcit; magis agitantur ægri; arteriarum pulfus & fortior & celerior fit, magis infirmi funt ægri, iidemque fubdelirant: urina rubra eft: fæpéque tanquam jumentorum urina evenit, & fedimentum craffum, veluti cerevifiæ fermentum, præcipitat; aut mucus in eâ fubfidet. Nonnullis âb ipfo morbi principio acutus in latere dolor ùt pleuriticus aut eft; aut paulò poft, cùm febris intenditur, fupervenit: maximèque vel juxta coftas fpurias vel infrà eafdem: aut durus aliquis tumor in inteftinis, quæ infrà umbilicum funt, refidet. Nonnunquam menftruus mulierum fanguinis fluxus ftatuto intrà ipfum morbum

bum tempore non erumpit: nonnunquam etiam idem breviore circuitu revertitur. Nonnullis etiam levis in cute aurigo eſt.

Nono morbi die, quandoque etiam tardiùs, in extremâ cute maculæ, pulicum morſibus, qui absque areolâ ſunt, ſimiles apparent. Sæpè quoque hæ ſeptimo die accedunt. Nonnunquam protinus, altero ſcilicet poſt acceſſionem die, erumpunt. Quandoque etiam jam in ipſo morbi principio eædem adſunt. Neque tamen mitiùs ægrotârunt, quorum maculæ ociùs, quàm quorum eæ ſeriùs provenerunt: & viciſſim.

Petechias has maculas vocant: inque iis potiſſimum corporis partibus apparere conſueſcunt, quæ mollem tenuemque cutim habent; veluti circà collum, ſupràque mammas, etiam ſecundum femina, atque juxtà interiora brachiorum, præcipuè circà muſculum bicipitem; maximè verò â flexurâ cubiti ad carpum usque. Atque, ſi pro-

pè internam carpi partem Petechiæ non ſint, harum etiam nullæ iu cætero corpore deprehenduntur. Sæpe etiam univerſum corpus ad caput usque occupant, & infrà mentum & retrò auriculas ſunt. Nonnunquam, nempe ubi harum quamplurimæ ſunt, etiam in facie, maximè ex oculorum palpebris erumpunt. Perpetuum verò non eſt, pejus eos habere, quibus multæ, quàm quibus raræ Petechiæ ſunt.

Sunt autem Petechiæ maculæ parvæ, rotundæ, ſeminis papaverini nonnunquam etiam ſeminis milii latitudine. Cutim non excedunt, & â ſe diſtinctæ ſunt. Atque inter has, ſi plurimæ univerſum corpus impleverint, minimæ tanquam acu punctæ intercedunt. Quandoque aliquæ propè carpum veluti diffuſæ ſunt. Nonnunquam etiam, denſæ ubi ſunt, aliquæ latæ ſuprà ſcapulas ventremve apparent, cùm duæ aut tres Petechiæ coïverunt. Profundè ùt ex lividô

lividô rubræ iſtæ maculæ ſunt: aliæ magis roſeæ, nonnullæ etiam lividæ ſunt; potiſſimum juxtà internam carpi cutim, in quo loco multæ venæ conveniunt. Quorundam Petechiæ veluti ſplendent, quaſi vitreæ eæ eſſent; hæque colorem quemadmodum pœoniæ flores habent. Cineraceas verò, ùt quidam volunt, Petechias, & quæ ſquammas deponant, nunquam vidi.

Porrò aliorum Petechiæ poſt triduum evaneſcunt: aliorum verò diutiûs & ad finem morbi usque, etiam poſt mortem, in cute perſiſtunt: aliorum Petechiæ etiam poſt ſuperatam febrim ſuperſunt. Nonnunquam, quæ evanuerunt, revertuntur. Alii item cum multis Petechiis non multum ægrotant, & erecti obambulant, alii cum paucis exitioſè habent. Etiam Petechias, quo tempore populares eædem erant, ſine febre & absque ullâ corporis infirmitate vidi.

 Noſſe

Noſſe præterea quam maximè refert; febrim, quæ ante Petechias eſt, etiam poſtquam eædem in cute eruperunt, nec quicquam remittere; ſed, niſi auxilium adhibeatur, magis atque magis intendi. Quare etiam iſtud exanthematum genus non poteſt item ùt criticum intueri.

Creſcit calor atque febris; arteriarum pulſus intenditur, idemque & fortis & celer fit: rubet æger facie; ejusdemque oculi veluti telâ rubrâ obducuntur; pertinaciter delirat, manibus tremit ſiquid prehenſurus eſt; oris labia ſicca habet, & linguam aſperam inque eâ cruſtas accipit; tuſſis arida, quæ paulo ante mitis erat, nunc magis urget, ægerque ſæpè vanè tuſſit, neque poteſt ſputum aut avellere aut ejicere.

Denique febris magis exardeſcit; æger anxiè reſpirat, ſolicitéque ſæpè circumſpicit quaſi metuens; tegumenta ſæpè rejicit corpusque nudat; manibus palpat tanquam

aut

aut floccos collecturus aut festucas capturus: &, ubi aut linteamen aut vestimentum aliquod accepit, illud tremulis manibus tractat, quemadmodum nodum explicaturus: neque potest linguam, quandoquidem medicus ità postulavit, ad extrema labia porrigere; sed tremulam eandem intus in ore cum labore agitat.

Denique, posteaquam aliquandiu ità ægrotatum est, extremæ corporis partes inalgescunt, retrahuntur oculi, iidemque tristes fiunt; nasus acuminatur; & oris labia livescunt; præcordia angustiis premuntur; arteriarum pulsus exilis atque inæqualis aut intermittens palpitat; pallescit universum corpus, ab eodemque sudor frigidus defluit; atque æger incerto ante vigesimum diem temporis termino sphacelosus extinguitur; etsi ipsæ Petechiæ in cute eædem superstent.

Atque qui hoc morbo jugulantur, omnes iſtâ ratione pereunt. Neque quispiam facile absque adhibito auxilio convaleſcit: niſi aut Petechiæ ſine febre ſint, aut ad alium quenpiam morbum acceſſerint; aut ortum putridum aliquod alvi profluvium fuerit.

Quibus verò ſecunda valetudo ſive medicinæ ſive corporis beneficio contingit, hi poſt nonum morbi diem graviter audiunt, intraque illud tempus rubrum oculorum colorem, quem ante habebant, amittere incipiunt; paulo poſt gravius audiunt & ſurdi ſæpè omninò fiunt, intereaque oculos rurſum pulchros & ſanis ſimiles accipiunt. Quorundam etiam oculi ſordeſcunt, inque extremô palpebrarum limbô cruſtæ coëunt, in angulis potiſſimum ad palpebrarum commiſſuras. Et ſimul àc ægri ſurdi eſſe incipiunt, ſomnum etiam capiunt, & ùt ſoporoſi decumbunt, qui vigiles hucusque fuerant.

rant. Nonnulli, etſi perpauci, neque oculos rubros acceperunt, neque ſurdi neque ſoporoſi fuerunt, & tamen convaluerunt. Item, ſi Petechiæ ad alium quenpiam morbum principem, ceu ad febrim intermittentem exquiſitam, acceſſerunt, aut ubi ipſæ absque febre fuerunt; iſti quidem ægri neque ſurdi neque ſoporoſi facti ſunt, & nihilominus convaluerunt. Interea autem temporis, qui evaſuri ſunt, tenax ſputum redderc incipiunt; & cruſtas â linguâ rejiciunt, atque pituitam coctam è naribus emungunt. Sanæ mentis fiunt, & ad perfectam denique rationem revertuntur. Arteriarum quoque pulſus deinde inclinatâ febre mollis lentusque fit, atque ad rectum ordinem modumque recedit: poſteaque cùm Petechiæ evanuerunt, ſæpè plurimus ſudor acidus ex univerſo corpore erumpit; isque unum duosve dies, ſæpè etiam diutiùs fluere continuat. Nonnunpuam etiam idem, Petechiæ ubi adhuc ſubſiſtunt, erum-

pit. Perpetuum autem eſt; iſto quidem ſudore corpus nunquam, niſi victâ aliquantum febre, immadeſcere.

Poſteaquam quinque dies ægri ſoporoſi fuerunt, rurſum quemadmodum ſani, etſi non diu dormiant, ſæpè tamen ſomnum capiunt; & rectiùs ſimul audire incipiunt: alii verò diutius ſurdi manent. Cùmque acutiùs audiunt, etiam facie non amplius rubent. Atque horum alii tument facie & manibus, veluti aquâ inter cutem: alii non tument: alii dolores acutos rheumaticos in articulis habent; &, ubi horum membra manu tractamus, plurimum clamant: alii, etiamſi poſt ſuperatum morbum erecti obambulent, pedibus tument veluti hydropici futuri: alii cibos non appetunt; & cùm ediſſent, ventriculo gravantur tanquam turgidi: rurſum alii in febrim intermittentem, potiſſimum tertianam, relabuntur: alii absque his optimè habent, &

maximè

maximè eſuriunt, & cibos facilè ferunt. Atque ità alii citiùs, alii ſeriùs convaleſcunt; prout ſive magis ſive minus ægrotaverint, ſive rectè ſive adverſè curati fuerint. Poſtremò ægri, cùm calor remiſit & ſuperatus morbus eſt, maximè imbecilli diu decumbunt, neque poſſunt corpus regere.

Atque tali ratione convaleſcunt; qui ab iſto morbo eveniunt.

Eſt iſtud quidem Petechiarum genus omnium maximè commune; rotundæ ſcilicet maculæ tanquam acu punctæ: quæ quoniam aut pulicum aut pediculorum morſibus ſimiles ſunt, utique olim pediculæ & mutato deinde vocabulo Petechiæ appellatæ fuerunt. Has, propterea quòd æqualiter rotundæ ſunt, & limbo non excedunt, ſed intrà ſuum circulum conſiſtunt, *circumſcriptas* nomino.

Alterum Petechiarum genus non rotundas neque æquales maculas habet; ſed diffuſas, quæ intrà cutim paulò latiùs procedunt; verè quemadmodum atramentum, quod ſuprà linteum punctum eſt, ſerpit. Has *diffuſas* voco.

Harum item color ùt illarum modò minus modò magis ruber modo purpureus eſt: eædemque vel ſolæ tales exiſtunt; vel diſperſæ inter circumſcriptas ſunt. Neque adeo multæ eſſe conſueſcunt; neque, ſi ſolæ ſint, diu in cute ſubſiſtunt, ſed facilè intrà triduum evaneſcunt: rarum eſt, plurimas tales eſſe; aut ad morbi exitum uſque manere, aut poſt mortem ſupereſſe. Porrò non ità frequens iſtud Petechiarum genus eſt: idque eo tempore, quo circumſcriptæ Petechiæ populares atque, ùt ſuperiore anno 1760, plurimæ fuerunt, etiam magis quàm impoſterum commune erat.

Pejor

Pejor autem cum diffufis quàm cum circumfcriptis Petechiis morbus eft: tum quoniam is medicum magis fallit; tum quoniam idem per fe magis exitiofus eft; ferè enim omnes, quos prehendit, præcipitat.

Magis verò fallere poteft; quoniam, rariores & fæpè etiam pallidiores iftæ Petechiæ cùm fint, minus videntur; & medicum, nifi attentus fit, fugiunt: etiam, quoniam eæ non diu perfiftunt, facilè ægrorum cutim antè iterum dimittunt, quàm medicus aut in auxilium vocatus fuit, aut vocatus fortaffis infpexit. Ob quam caufam, quoniam is certam morbi notitiam non habet, etiam certum remedium non facilè affert. Quare expedit, populares ubi Petechiæ funt, ægrorum cutim oculis quotidie perquirere: maximèque interna brachia â cubito potiffimum ad carpum ufque, in quâ parte tenera cùtis eft, intueri. Quodfi verò Petechiæ ante jam evanuiffent; mor-

morbus ipſe utique per eas notas, quas ſuprà memoravi, impoſterum cognoſci debet.

Inſuper noſſe licet, nonnunquam, diffuſæ ubi Petechiæ ſunt, aut paulo poſtquàm eædem evanuerunt, ex ægrorum naribus plurimum ſanguinem erumpere; certoque indicio eſſe, ægrum proximè exanimatum iri. Pertenuis autem iſte ſanguis eſt, neque facilè quemadmodum ſanorum in placentam coït: isque modò ad ſex modo etiam ad octo libras è naribus præcipiti rivo effluit, ægrumque maximè imbecillum relinquit: & ſiquidem ità fluere deſiit; febris (quod maximè mirum videri poteſt) protinus exardeſcit, inque eâ æger poſt duodecim horas delirat, & tertio die gangrænâ extinguitur. Neque ullum hucusque auxilium invenire potui, quod juviſſet.

Atque tales ægros quinque hucusque vidi; è quorum naribus ultrà octo ſanguinis libræ profluxerunt, deindeque, ubi febris paulò

paulò poſt ad ſummum pervenit, gangræna jugulati fuerunt: etſi ex eorum venâ, etiam in ipſo morbi principio, octodecim ſanguinis unciæ ante extractæ jam fuiſſent. Quod nunquam contigiſſe vidi, circumſcriptæ ubi Petechiæ erant. Et ſiquidem aliquando cum circumſcriptis Petechiis ſanguis erupit; is neque multus, neque diſſolutus, ſed ſanorum ſanguini ſimilis, erat; ægrique è morbo evenerunt, perinde àc qui ſanguinis nec quicquam naribus amiſerant.

Porrò ſcire refert; eodem tempore, quo Petechiæ populares erant, etiam multos ſimili modo absque Petechiis laborâſſe: iisdemque per easdem rationes ſuccurrendum fuiſſe, per quas ipſum Petechiarum morbum ſubmoveri poſſe infrà ponam. Morbum intercurrentem talem appellant.

Poſtremò fuit ipſe Petechiarum morbus primis quidem annis, quo tempore is maximè communis fuerat inceperatque perexitioſus.

tiosus. At verò posterioribus deinde tempestatibus idem neque ità ordinatus erat neque in universum adeo difficilis, sive cum Petechiis ille fuerit, sive absque his intercurrens. Quasi morbi miasma (veluti SYDENHAM in constitutionibus epidemicis observâsse se dicit) tempore & sæpè eundo mitesceret.



CAPUT

CAPUT III.

PROPONUNTUR CURATIONUM EXPERIMENTA.

Atque talis quidem Petechiarum morbus eſt.

Nunc equidem dicendum veniret; quæ cauſa iſtum morbum exicitet? unde Petechiæ proveniant? ob quâm rationem circumſcriptæ differant à diffuſis? cur narium hæmorrhagia in his, non in illis, contingat? verum, quoniam aliquantò magis â diverſis Authorum ſententiis recedo; rectiùs futurum me eſſe puto, ſi viginti curationum experimenta priùs ponam, iisdemque cauſæ originem, &, qua febris ipſa fiat, rationem ſubjiciam: tum nequod dubium diſputatiove maneat; tum ut eos, qui de qualibet re libenter dubitant, experientia convincat; tum quò faciliùs caream arrogan-

rogantiæ crimine, qui me medium interposuerim aliorum ſcriptis.

Aegrotus I.

Anno 1755 menſe Junio mulier ejusdemque duo filii, & filiæ duæ ægrotârunt; quos jam dudum paupertate preſſos bonus victus defecerat. Prima decubuit junior filia 18 annos nata: paulo poſt ſoror, deinde fratres duo, poſtremò mater morbum, alter ab altero, acceperunt.

Non magna quidem in principio, etſi continua, febris erat; neque aliena mens; neque urina rubra, ſed ſanorum ſimilis.

Juſſi ægrorum venam ſecari; eosdemque victu tenui uti; & unaquaque horâ duo cochlearia julapii ſorbere ex aquæ fragorum & florum ſambuci unciis tribus, & aceti deſtillati unciâ dimidiâ; adjectâ nitri drachmâ, & ſyrupi rubi idæi unciâ. Potui dedi decoctas radices graminis, acetoſæque

tosæque, & scorzoneræ, & liquiritiæ & papaveris erratici flores, cum nitro; ammistô acetô destillatô & syrupô rubi idæi; quæ liberaliter biberent.

His ægri neque pejus neque etiam melius aliquandiu habere videbantur: sic, ut sperassem, secundam valetudinem proximè reversuram esse.

At 9no die ortæ in extremâ cute ad collum potissimum, suprà pectus, juxtaque brachia, & secundùm femora maculæ rubræ sublividæque sunt, tanquam â pulicum morsibus. Accessit delirium, quod quò magis tempore proventum est, eò majus incrementum cepit: intràque id febris vehementius exarsit: supervenit tremor manuum, & oculorum splendor cum rubedine; & lingua exaruit.

Miratus istum morbi modum, quoniam propria non noveram, communibus reme-

diis inſiſtendum eſſe putavi: ſcilicet his, quæ febris æſtum componerent. Quare cum prioribus auxiliis etiam ſive hirudines ſive cucurbitulas cum ſcarificationibus infrà auriculas applicari juſſi; per quas ſanguinem â capite ſubtraherem.

Hi omnes, poſteaquam tredecim dies deliraverant, circa vigeſimum primum diem convaluerunt; & inclinata febre tenacis muci quicquam tuſſi rejecere; iterumque poſt depoſitas cruſtas mollem humidamque linguam acceperunt.

Atque iſtâ quidem curatione didici, Petechias per ſe tales exiſtere; neque easdem vel ab adhibitis calidis rebus, vel â nimiâ febre eſſe: etſi, unde proveniant, non noviſſem.

Aegrotus II.

Proximo deinde anno 1756 mediâ æſtate decubuit juvenis 24 annos natus. Erat ejus

ejus morbi principium facilè ; exiguaque febris; recta item mens ; & moderatus arteriarum pulsus.

Deinde 9no die Petechiæ circum collum, supraque pectus, atque secundum brachia, juxtaque femora provenerunt: cumque his major ortus calor, deliriumque est : intentæque arteriæ & fortiùs & celeriùs pulsârunt: oculi item splendebant, atque lingua & oris labia sicca scabraque facta sunt.

Ob quæ ægro julapium atque decoctum refrigerans cum aceto vini & nitro plurimum obtuli.

Nihilominus etiam cum his febris vehementer exarsit; desperatâ ferè salute. Quare â camphorâ cum sale ammoniaco, quam medicinæ Professores plurimum commendârant, præsidium petendum esse ratus ægro quotidie camphoræ grana 24 ingessi;

ne verò ab eâ, tanquam â calidâ aliquâ re, febris exuperaret; julapium item acidum decoctumque refrigerans eidem liberaliter adjeci.

Verum quoniam ista omnia necquicquam profecerunt; neque per ea sive calor sive febris remisit; camphoram tanquam incertum remedium rejeci.

Posteaquam denique æger tredecim dies delirio transegerat, superato morbo resipuit: disparuêre etiam Petechiæ; ægerque perimbecillus nonnunquam muci quidquam tussiendo emolitus est; ejusdemque lingua depositis crustis mollis humidaque evenit, & rediit bona valetudo.

Atque per ista rursum experimenta novi; Petechias non posse tanquam criticas eruptiones intueri: quoniam, ubi hæ apparuerunt, febris ipsa & exarsit magis & ipse morbus pejor extitit.

Quam-

Quamvis autem poſt adhibita talia quidem auxilia ægri eveniſſent; nihilominus alii periêre, quorum morbo ſive refrigerantibus ſive acidis auxiliis, ſive camphorâ, ſive diaphoreticis remediis occurſum erat. Ob quam cauſam etiam iſtam curandi rationem jure ut incertam repudiavi.

Tutiorem itaque cogitans curandi modum, Petechias cum vibicibus, lividisque maculis, atque lenticularibus illis punctis, quæ cutim non excedunt, comparavi; & qualia olim in infantum cute videram, ſubtractâque ſæpè alvo ſubmovebam, eoquòd ea aut à vermibus ſive vivis ſive mortuis, aut ab aliâ quapiam putridâ re, quæ in imô ventre reſidebat, provenerant. Vel, uti in eorum cute livida ſtigmata apparent, qui putrem mytulum comederunt; eademque iterum, ubi ventrem ſive vomitu ſive infrà ducente pharmaco purgaverunt, amittunt. Poſſe quoque ipſas Petechias ſimili de cauſâ

oriri; foreque, ut eædem difpareant, fi movendo alvum putrida ifta colluvies fubtrahatur. Idque tutum fore.

Atque his quidem cogitationibus octodecim menfium tempus ante impleveram, quam potueram iftam curandi rationem exequi.

AEGROTUS III.

Donec anno 1758 die 5 Aprilis Chirurgus militum Caftellis febre laboraffet; quæ, etfi absque Petechiis fuiffet, tamen quoniam febri petechiali fimillima erat, â medicinæ Profefforibus petechizans folet appellari: & quam tradito contagio â militibus in nofocomio Marburgenfi acceperat.

Erat ægri mens hebes ftupidaque; isque, etfi fanguinem è venâ bis mififfet, medicamentaque acida refrigerantia etiam ultrà fatietatem bibiffet, nihilominus febre vehementer exarfit.

Interea

Interea verò temporis urina craſſa, turbida, ſubflavaque, cum multo ſedimento mucoſo, qualem jumenta mingunt, evenit; ſcilicet quæ indicat, multa impura in imô ventre reſidere.

Ob quæ, rejectis reliquis remediis, ægro protinus medicamentum purgans intrà ipſam etiam febrim indidi. A quo cùm multa putrida deſcendiſſent, morbus ipſe inclinavit ſe, febrisque in calore remiſit.

Hoc cùm juviſſet; idem purgans pharmacum rurſum præſtiti; multaque ſic putrida ſubtraxi.

Ab his igitur cùm ſomnus iterum eſſe cœpiſſet mensque rediiſſet, atque arteriarum pulſus ordinatus fuiſſet, eodem item pharmaco alvum purgavi: ſicque ſecunda valetudo proximè reverſa eſt.

Quare, quoniam per iſtam quoque curationem novi, non longè â rectâ medendi

ratione abeſſe me, utique proximam Petechiarum curationem purgantibus remediis abſolvi.

Aegrotus IV.

Siquidem cùm eâ tempeſtate juvenis 17 annos natus initio exiguâ quidem febre laboraſſet, inque eâ hebes mente fuiſſet; die verò 7mo magis incaluiſſet, & â rectâ ratione abfuiſſet, neque venæ ſectiones neque plurima medicamenta acida atque refrigerantia quicquam profeciſſent; contra verò ortis in univerſâ cute Petechiis febris magis exarſiſſet, & die porrò 14to æger perinfirmus & ſoporoſus decubuiſſet, & pulſum exilem habuiſſet; ſic, ut anguſta ſalutis ſpes ſuperfuiſſet; præſidium utique â purgantibus remediis petendum eſſe putabam: maximèque quoniam ab ipſo morbi principio hucusque æger urinam jumentorum urinæ ſimilem aliquoties reddiderat; ſcili-

ſcililet, per quam lotii perturbationem noſſe licuit, multa impura in imo ventre reſidere.

Itaque coctorum foliorum Sennæ, & Salis Sedlizenſis, Mannæ, Rhabarbarique quicquam ægro ingeſſi: poſt quæ cùm multa putrida deſcendiſſent, aliquantum ex delirio imminutum eſt; acceſſit roboris quidquam, & arteriarum pulſus major ſimul & lentus evenit; rurſumque urina veluti jumentorum.

Cumque poſt hæc æger magis â morbo reveniſſet, iterum medicamentum purgans, at paulò fortius, poſtero die accepit, quod rurſum multa putrida atque mucoſa ſubduxit, inde rediit recta mens, & ſomnus placidus, & edendi deſiderium, cum lento atque valido arteriarum pulſu.

Unum poſthæc diem absque medicinâ integrum perſtiti, virium recuperandarum

gratiâ: deindeque iterum fortius aliquod purgans præſtiti, per quod æger alvum octies depoſuit; & Petechiis liber cibos vehementer deſideravit; & omnino convaluit.

Quoniam autem iſta curatio ſucceſſerat; ſimilibus impoſterum ægris, quos eâdem ferè tempeſtate curandos habebam, omnibus medicamenta purgantia exhibui.

AEGROTUS V.

A 7mo namque Aprilis die anni 1758 puella annos 13 nata Petechiis cùm laborâſſet, & ad decimum ſextum uſque morbi diem etiam cum adhibitis plurimis refrigerantibus acidisque medicamentis peſſimè habuiſſet; mutatâ protinus medendi ratione, atque aſſumtis ſubitò purgantibus remediis proximè, cùm multa putrida dejeciſſet, Petechiarum expers convaluit.

AEGRO-

AEGROTUS VI.

Eodem item tempore (30 Aprilis) puella 13 annos nata, febre protinus incaluit; ob quam miſſus è venâ ſanguis, præſtitumque liberaliter julapium decoctumque refrigerans eſt, adjecto nitro & aceto deſtillato atque ſyrupo rubi idæi.

Supervenerunt verſus octavum morbi diem multæ ſublividæque Petechiæ; cumque his magis intenta febris eſt, & acceſſit delirium; intrà quod pulveris Rhabarbari grana decem cum Tartari vitriolati granis quinque ammiſto oxymelle ſquillitico manè & veſperi exhibui: hisque ſoluta alvus eſt, plurimaque ex eâ putrida deſcenderunt. Purgatâ ſic alvo ipſæ Petechiæ diſparuerunt; & ſecuta urina turbida, tanquam jumentorum, eſt: ægraque poſt tres dies, intrà quos ità purgata eſt, convaluit: ciboſque appetiit, & vires victu reſarcivit.

Deni-

Denique paulo etiam poſt, IImâ ſcilicet Junii die aliquos ægros accepi; quibus largum alvi profluvium, quod in ipſum Petechiarum morbum incidit, præſidio fuit; veluti nunc ſubjiciam.

AEGROTUS VII.

Pauperis ſcilicet alicujus coloni uxor Caſtellis, cùm vix peperiſſet, Petechiarum morbum ab ægris militibus per contagium acceperat; proptereaque & perinfirma evenit, & febre vehementer incaluit, neque poſt ipſum partum lochia emiſit, neque in mammis lac confecit.

Supervenit largum alvi profluvium; quod & ægra & ejus amicæ tanquam exitioſum metuebant; & cui præcipuè occurrendum eſſe decreverant.

Ego verò iſtam quidem alvum necquicquam claudendam eſſe apud animum meum ſtatueram; ſed julapium, potumque refrigeran-

gerantem, adjecto aceto vini destillato & syrupo rubi idæi, liberaliter præstiti.

Cùmque laxâ aliquandiu alvo sic plurima putrida secessissent, febris in calore remisit, plurimumque ex Petechiarum rubore minutum est, deindeque deletæ omnes maculæ sunt. Sicque cùm perventum ad integritatem fuisset, alvus iterum clausa est.

Restitutis postea corporis viribus lochia veluti à recenti partu liberaliter profluxerunt; ipsaque ubera impleta plurimo lacte sunt, quod prolem etiam ultrà satietatem nutrivit.

Aegrotus VIII.

Erectâ muliere morbus in maritum transiit; isque, propterea quòd medicamenta purgantia non accepit, sed refrigerantia tantùm assumsit, diutiùs, quàm qui purgati fuerunt, ægrotavit; Petechiasque in satis longum tempus traxit. Posthæc ortum

tum vomendi desiderium est, excitataque in imô ventre termina sunt, quæ multa mucosa suprà infràque cum emolumento excusserunt.

Quod, quoniam profecerat, naturam utique ùt magistram imitatus ægro medicamentum purgans quotidie exhibui; â quo cùm multa putrida dejecisset, omnium subitò Petechiarum expers proximè convaluit.

Quare, quoniam ex his novi, naturam ipsam morbum simili, àc medicinâ tentaveram, viâ submovere; imposterum omnes quos acceperam, ægros medicamentis purgantibus curavi: sive hi febre incaluerint sive deliraverint in eâ, sive etiam surdi soporosique adhuc fuerint: habitâ nullâ temporis ratione.

AEGRO

Aegrotus IX.

Proximè âb his, die ſcilicet 25 Junii anni 1758 parochialis Vicarius eundem morbum â militibus ægris, quibus in Noſocomio adſtiterat, accepit: protinusque ex eo perinfirmus evenit, & capite doluit, atque calore exarſit.

Hujus venam bis ſecari juſſi; ex eâdemque multum ſanguinem traxi. Jura etiam carnium tenuia cum ſucco citrei, julapiumque, adjecto nitro & aceto præſtiti; potui verò dedi decoctum refrigerans cum aceto deſtillato & ſyrupo ribeſiorum.

Nihilominus febris exuperavit; acceſſit delirium, propter quod applicatæ juxtà auriculas hirudines ſunt.

Eruperunt ſeptimâ die plurimæ in univerſâ corporis cute Petechiæ, deliriumque increvit.

Quam

Quam ob rem mutatâ ſubitò medendi ratione rhabarbari grana decem & tartari ſolubilis grana quinque tribus quotidie vicibus in ipſo etiam delirio dedi; inſuperque duo cochlearia julapii, cui oxymellis ſquillitici unica adjecta erat, unaquaque horâ exhibui; ſcilicet, ut his alvus ſubmoveatur.

Per quæ cùm ſubducta multa putrida fuiſſent, omnis calor eſſe deſiit; evanuerunt ſimul Petechiæ; & mens rediit ſomnusque; æger cibos appetiit; & decimo die convaluit. Vires deinde & ſomno & cibo recuperavit.

Citius utique talibus ægris medicamenta purgantia exhibuiſſem, dummodo citiùs noſſe potuiſſem, cum febre, quæ eſt, Petechias futuras eſſe. Siquidem, cum iſtæ quidem maculæ non protinus, ſed poſteaquam morbus aliquandiu occupavit, erumpere conſueſcunt, temerarium utique foret, medicamenta purgantia in dubio

morbi

morbi principio ſine certâ cauſæ notitiâ offerre.

AEGROTUS X.

Anno 1759 menſe Auguſto pauperis mulieris filia 15 annos nata aliquandiu febre exarſerat: exque eâ perinfirma, ſtupidaque erat, cum delirio & facie lurida: ob quæ miſſus è venâ ſanguis eſt, & exhibita liberaliter medicamenta acida ſunt.

Decimo die ortæ in univerſâ corporis cute plurimæ Petechiæ ſunt; urinaque turbida qualis jumentorum eſt, provenit.

Quare protinus pulveris rhabarbari tartarique ſolubilis grana decem manè & veſperi ægræ præſtiti: juſſique ut oxymellis ſquillitici unciam quotidie aſſumeret.

His alvus mota eſt; multaque putrida ex eâ deſcenderunt. Cùmque ſubtracta per hæc intrà triduum omnia impura fuiſſent,

ægra Petechiarum expers convaluit, atque cibos iterum appetiit.

AEGROTUS XI.

Anno 1759 die 8vâ Novembris à tribus jam ſeptimanis febre cum Petechiis laborat Caſtellis mulier 50 annos nata, quæ à Chirurgo medicamenta diaphoretica & abſorbentia hucusque fruſtrà acceperat.

Deinde decoctum hordei bibit; & julapium cum oxymellis ſquillitici unciâ & nitri drachmis duabus aliquandiu aſſumſit ſine profectu.

Erat univerſum corpus plenum Petechiis, & facies ſubfuſca, luridaque, & imbecillum corpus, & arteriarum pulſus frequens, cum vigiliis & ſubdelirio: interceſſit nonnunquam tuſſis, quæ aliquantum phlegmatis emolita eſt.

Huic ægræ manè & veſperi pulveris rhabarbari grana decem & tartari ſolubilis

tantun-

tantundem quotidie præcepi; â quibus cùm ſubducta multa putrida fuiſſent, ægra profundè dormiit, & ſurda facta eſt; evanuerunt ſimul Petechiæ, & urina turbida jumentorum ſimilis evenit. Ob quam cauſam, quoniam iſta medicina profecerat, alvum aliquantò magis ſubduxi: idque proximè ad integritatem perduxit.

Atque iſtâ quidem ratione ægros, quos acceperam, hucusque curabam. Priores quidem venæ ſectione & refrigerantibus acidisque auxiliis tantum; quibus difficulter convaluêre: nonnullos etiam camphorâ & diaphoreticis rebus ad aliorum exemplum agitavi; quod dubium & fallax medicinæ genus eſt: poſtremos autem adhibitis purgantibus remediis, â quibus facilè evenerunt. Quare etiam iſtud curæ genus ùt optimum retinui; atque plurimis impoſterum experimentis tanquam tutiſſimum comprobavi. Siquidem, cùm proximo anno

1760 in urbe atque in Agris Moguntinis plurimi homines ità laborâssent; etiam copiam nactus sum & plurima experimenta capiendi, & experimenta experimentis confirmandi, & aliorum auctorum curationes post adhibita eorum remedia pervestigandi noscendique.

Namque â medio mense Februario in Majum usque percommunis iste morbus erat. Etenim in agris Moguntinis, Castellis potissimum, atque in cæteris circum oppidis, etiam in terris Olmiensibus tanta erat ægrorum hominum multitudo, ut Eminentissimus Princeps Elector & trans Rhenum fluvium & cis eundem medicos misisset, curatum. Porrò ipsâ æstate proximoque autumno, ineunte item hyeme anni 1761 & integro etiam isto anno procul usque in annum 1766 perfamiliare id genus morbi erat. Horum rursum multos curavi. Veluti nunc ponam: non omnia quidem, quæ

quæ hucusque cepi, curationum exempla allaturus; ſed quot horum ad confirmandam veritatem ſatis eſſe videbuntur.

AEGROTUS XII.

Anno 1760 menſe Februario vir 40 annos natus febre ardente aliquandiu laborabat; cum quamplurimis in univerſo corpore Petechiis: inque iſtâ febre deliravit, etſi ſanguinem bis miſiſſet, atque julapium acidum decoctaque refrigerantia copioſè hauſiſſet. Præter hæc etiam urinam jumentorum urinæ ſimilem emiſit.

Cùm verò iſta auxilia necquicquam profeciſſent; ægri alvum intra ipſam etiam febrim deliriumque rhabarbaro quotidie purgavi, donec excuſſâ multâ putridâ ſaburrâ & febris inclinavit & mens rediit: evanuerunt multæ ex Petechiis, ſecutusque ſopor eſt, qui utique bonam valetudinem reverſuram eſſe ſignificat. Deindeque

cum ſufficienter purgatum fuit, extinctis proximè Petechiis bona valetudo conſtitit.

AEGROTUS XIII.

Anno 1760 die 13 Maii juvenis 25 annorum â novem jam diebus ægrotus ſanguinem è venâ miſerat, & alvum pharmaco ante purgaverat, quàm eundem vidiſſem.

Erat ei calor ſummus & perinfirmum corpus, cum arteriarum imbecillo & frequenti pulſu; multæ item in cute Petechiæ; at quarum major quidem copia lividaque area atque ſugillatio in dextro cubito, quo loco ſecta vena erat, coïvit; quàm in ſiniſtro. Porrò æger deliravit, & ſæpè è lecto exſilire tentaverat.

Igitur ægrum manè & veſperi grana quindecim rhabarbari aſſumere, inſuperque omni horâ duo cochlearia julapii bibere juſſi cum oxymellis ſquillitici ſeſqui unciâ;

adjectis

adjectis duabus drachmis Salis Seignette & Syrupi florum persicorum unciâ.

His alvus triduo mota est, multaque ex eâ putrida descenderunt. Inde mens rediit, & arteriarum pulsus ordinatus evenit; ipsæque ferè omnes Petechiæ, etiam in quo brachio plurimæ eæ fuerant, disparuêre.

Deinde eandem medicinam aliquandiu continuavi: quoniam & caloris & Petechiarum quicquam supererat. A quâ cùm alvus triduo laxa esse continuâsset, multaque maximè putrida ex eâ secessissent, arteriarum pulsus factus iterum lentus est; & æger febris atque Petechiarum omninò expers convaluit, cibos maximè desiderans.

AEGROTUS XIV.

Anno 1760 â die 21 Maii puella 13 annos nata â quatuor jam diebus ægrotabat.

Erat veterana in ejus cute ſcabies interque eam etiam Petechiæ. Quare protinus ſyrupum florum perſicorum cum reſinæ jalappæ & diagridii granis quinque die 6to, iterumque proximo die exhibui; qui movendo ſæpè alvum multa putrida ſubtraxit.

Quoniam iſta verò ægra febre maximè incaluerat, oculosque rubros & ſiccam tuſſim habebat; etiam purgantibus iſtis auxiliis julapium refrigerans adjunxi; & ſeri lactis libram cum nitri drachmâ & melle die 8vo bis ùt enema indi juſſi.

Acceſſit die 10 ſurditas, & arteriarum pulſus celer evenit. Quare die 11 eundem ſyrupum purgantem præſtiti, â quo rurſum multa putrida deſcenderunt: & die 13tio ſimile enema bis applicatum eſt. Die porrò 14 julapium, cum oxymellis ſquillitici ſesqui unciâ & drachmis duabus Salis Seignette & ſyrupi florum perſicorum unciâ præſti-

præstitum est; quod multa denuò putrida subduxit.

His ægra die 15 febris ferè expers erat; neque lectum, ùt ante, manibus carpsit; & oculos rursum claros accepit; arteriarum item pulsus lentus, & facta facilis respiratio est; neque Petechiæ supererant; noctu benè dormivit; & proxima die plurimam urinam tenuem citrei coloris reddidit. Interea ægra surda atque soporosa mansit: & si quis ejus membra manu prehenderat flexurus; illa plurimum, quoniam ex his maximè dolebat, lacrymabatur.

Die 17 febris, posteaquam alvus satis purgata erat, desiit; & ægra convaluit; superfuit magna aliquandiu corporis imbecillitas; qualis post istum quidem morbum esse consuescit.

AEGROTUS XV.

Anno 1760 die 25 Maii puella 14 annos nata, quæ ab octo jam diebus perinfirma erat, calore vehementer exarsit; inque isto calore linguam siccam habuit, & oculos rubros veluti roseâ telâ obductos: manibus etiam tremebat, & corpus sæpè denudabat; cum plurimis in universâ cute Petechiis.

Huic ægræ decoctum refrigerans cum oxymelle squillitico liberaliter præstiti, & unaquaque diei horâ duo cochlearia julapii dedi, cum oxymellis squillitici sesqui unciâ & Salis Seignette drachmis duabus & syrupi florum persicorum unciâ.

Deinde his, quoniam ea alvum non movebant, manè & vesperi grana quindecim rhabarbari adjeci: quæ alvum perturbârunt, multaque ex eà putrida in quartum usque curæ diem excusserunt; posthæc

factæ

factæ pallidiores Petechiæ ſunt, & febris in calore remiſit, & clariores facti oculi ſunt, & mens aliquantum conſtitit.

Acceſſit quarto die ſurditas ſoporque, intrà quem lingua humida evenit, & aliquantum magis ex febre imminutum eſt.

Quinto poſt iſta remedia die alvus hucusque perlaxa manſit, exque eâ multa putrida exiêrunt: indeque plurimum & ex febre, & ex Petechiis deletum eſt: remanſit autem profundus ſopor, & tuſſis arida.

Tandem ægra ſexto ſeptimoque die cùm omnia impura ſic dejeciſſet, omnis febris, caloris, & Petechiarum expers, arteriarum pulſum ſanorum ſimilem accepit, faciemque & oculos bonos habuit; etſi ea multum adhuc dormiiſſet & ſurda imbecillaque aliquandiu manſiſſet. Vires deinde bono victu reparavit.

AEGRO-

AEGROTUS XVI.

Anno 1760 puella annos 4 nata quatuordecim jam dies ægrotaverat, intrà quos ſæpè convellebatur. Poſtea verò die 22 Martii calore exarſit. Huic ſua mater Syrupum laxantem ingeſſit, â quo multum muci dejecit.

Erant altero die multæ in cute Petechiæ ſplendentes; & febris ipſa exuperabat. Quare tertio die purgans pharmacum exhibui: quod, cùm multa putrida mucumque ſubduxiſſet, omnem etiam febrim excuſſit: ipſæ verò Petechiæ eædem permanſerunt.

Igitur die 5to alvum rurſum pharmaco purgavi; quod, cùm multum item muci ſubtraxiſſet, ægram die 6to absque febre & ſine Petechiis tutam præſtitit.

AEGROTUS XVII.

Anno 1760 puella 18 annos nata, cor-
ɔre & magna, & fortis, & pinguis, cùm
ıitio Maij menſis ægrotâſſet, pilulas pur-
ıntes aſſumſit. His biduo alvus purgata
t, excuſſis multis putridis rebus.

Ortæ ſunt paulo poſt Petechiæ: quas
ìm ægræ pater vidiſſet, noluit impoſterum
iæ alvum laxam eſſe; ſed ejusdem corpus
ɔtiùs multis veſtimentis operiit; ſcilicet
: ità movendo ſudorem Petechias excu-
ret.

Erant autem die morbi 10 multa in cu-
Petechiarum millia; ſic, ut nullus ferè
etechiæ locus ſuperfuiſſet; has inter latæ
iquæ, ût lentes, videbantur. Erat fe-
is ingens, & calor ſummus, & arteria-
ım pulſus frequens; manibus ægra treme-
ıt; & corpus ſæpe denudabat; erat inſu-
ɛr reſpiratio denſa, & vox præcepta, &
oculi

oculi rubri ſplendentes. Nonnunquam muci quicquam tuſſis emolita eſt.

Hanc autem ægram, cùm accepiſſem, rejectis protinus veſtimentis linteamine velari juſſi; eidemque julapium, cui oxymellis ſquillitici ſesqui uncia & Salis Seignette drachmæ duæ & Syrupi florum perſicorum uncia adjectæ erant, affatim exhibui, & potum refrigerantem cum multo oxymelle ſquillitico copioſè præſtiti, ut biberet etiam ultrà ſacietatem. Juſſi præthereà, ut duo quotidie enemata ex ſero lactis, nitro & melle & ſale injicerentur.

His laxata alvus eſt, quæ multa putrida emiſit; poſt quæ mitior febris evenit, & ægra plus muci tuſſiendo rejecit, factæque pallidiores ipſæ Petechiæ ſunt. Quare ſimili ratione ægra die 11 & 12 liberaliter purgata eſt; plurimaque putrida mucumque dejecit; & vomitu grandem vermem excuſſit: tuſſi item mucum facilè reddidit; &

febris

febris aliquantò magis in calore remisit, ipsæque Petechiæ indies magis pallidæ factæ sunt.

Die tandem 18 ægra sine Petechiis & absque febre erat, liberaliter expectoravit; & somnum cepit.

Die 19 solutæ Mannæ sesqui unciam & Salis Seignette drachmas tres cum aquâ cerasorum exhibui. A quibus muci plurimum ore & alvo secessit.

Die 20 ægra Petechiarum febrisque expers convaluit, viresque victu resarcivit.

Hujus ægræ frater 12 annos natus eodem morbo, etsi paulò mitiore, laborans secundam valetudinem nactus est; posteaquam is aliquot continuò dies probè purgatus fuit, Syrupo florum persicorum, ammistis resinæ jalappæ & diagrydii sulphurati granis sex.

AEGRO-

Aegrotus XVIII.

Anno 1760 fine menſis Auguſti juvenis 24 annorum male habuit, quaſi febre tertianâ laboraturus.

Quare ei protinus medicamentum emeticum poſtque aliquot dies jalappæ & rhæi radicem præſtiti; quibus benè purgatus fuit. Proximò deinde die ortum alvi profluvium eſt, quod muci plurimum excuſſit.

Erat interea arteriarum pulſus parvus atque frequens; cibos æger nauſeavit; &, quidquid comediſſet, idem vomitu protinus rejecit. Paucis poſtea diebus in utrâque manu, quâ parte pulſum explorare conſueſcimus, in tenerâ cute Petechiæ apparuerunt, ad unamquamque manum triginta ferè. Præter hæc urina jumentorum ſimilis provenit.

Ipſe verò æger omnem hucusque medicinam reſpuit: etſi is perimbecillus fuiſ-

ſet;

ſet; & denuò urinam, veluti jumenta reddidiſſet.

Denique auxilium iterum petens reſinæ jalappæ grana ſeptem, diagrydii ſulphurati grana quinque ex rhabarbari ſyrupo aſſumſit: â quibus cùm plurimum putridum mucum dejeciſſet, convaluit.

Aegrotus XIX.

Anno 1760 medio menſe Octobri vir 77 annos natus ægrotavit. Perinfirmus protinus is erat, & vocem fractam atque reſpirationem denſam accepit. Retracti ſunt oculi, horumque palpebræ plumbei coloris, ipſa verò facies ſubflava erant; pulſus item & parvus, & frequens, & inæqualis extitit: caput quoque grave.

Julapium acidum æger & aquam cum ſucco citrei liberaliter aſſumſit. Tuſſiit etiam veluti ex catarrho. Urina verò tenuis erat.

Tertio morbi die coctos cum Sale Seignette & Mannâ Tamarindos aſſumſit, â quibus muci multum vomitu rejecit, & orto alvi profluvio multa putrida excuſſit.

Proximo abhinc die urina turbida evenit; atque ſedimentum lateri trito ſimile præcipitavit; arteriarum quoque pulſus magis elevavit ſe.

In interiore porrò brachiorum parte â cubito ad carpum usque, in qua tenera cutis eſt, utrinque Petechiæ ferè decem eruperunt.

Die 5 & 6 pulveris rhabarbari dimidia drachma cùm multa putrida ſubtraxiſſet pulſum iterum ordinatum reſtituit, & oculi prodierunt, ipſaque facies bona evenit; ciboſque æger, quos antè nauſeaverat, iterum appetiit.

Die 10 pilulas cephalicas 15 aſſumſit; â quibus multa putrida & multos muci glomeres

meres dejecit. Paulo poſt per easdem iterum pilulas cùm bellè purgatus fuiſſet, convaluit.

Aegrotus XX.

Anno 1760 die 30 Octobris virgo 40 annos nata cùm vix duos dies ægrotâſſet, jamjam juxtà utrumque brachium internum 20 ferè Petechias & earum non paucas suprà pectus habebat. Erat ejus facies lurida triſtisque veluti morientis hominis, factusque arteriarum pulſus frequens atque imbecillus eſt.

Potui ægræ dedi decoctum refrigerans, & julapium cum oxymellis ſquillitici unciâ & Salis Seignette drachmâ; iisdemque manè & veſperi Rhabarbari pulveriſati grana quindecim adjunxi.

His alvus indies ter quaterve mota eſt; multaque ex eâ putrida deſcenderunt: indeque arteriarum pulſus & fortior & plenus & magis ordinatus evenit.

Erat porrò die 6 universa corporis cutis subflavo colore tanquam Ictero tincta: propter quod vitium ægra â die 7 quotidie manè & vesperi duas pilulas quarum unaquæque resinæ jalappæ & diagrydii, atque Extracti panchymagogi Rhabarbarique granum unum receperat, assumsit: per quas cùm subtracta multa putrida fuissent, ipsæ protinus Petechiæ & flavus simul color cutem dimiserunt. Arteriarum porrò pulsus iterum ordinatus est.

Jussi, imposterum ut ægra easdem pilulas julapiumque & decoctum aliquandiu continuet: quibus, posteaquam die 9 & 10 multa iterum putrida mucosa deposuit, melius habuit, & molles arterias accepit, & jura carnium, quæ ante nauseaverat, nunc iterum facilè accepit.

Cùmque assumtis istis auxiliis ægra multa item putrida dejecisset, die 13 prosperè valuit.

CAPUT

CAPUT IV.

QUÆ SIT CAUSA PETECHIARUM: ET QUA RATIONE IPSI MORBO MEDENDUM SIT?

Hæc experientia in ipsis morbi curationibus docuit. His præpositis ad causæ originem pervenio, & Petechiæ quâ ratione fiant.

Et primò quidem Petechias per se tales existere; easdemque neque inditis calidis rebus, neque vitiosâ curatione excitari: quoniam etiam post adhibita refrigerantia auxilia eædem proveniunt. Neque verum esse, quod quidam volunt, Petechias criticas esse; tanquam per eas morbi miasma ab interno corpore in summam cutem expelleretur: contrà verò esse istum morbum â putridis rebus, quæ in infimo

 ventre

ventre refedêre: five hæ â vitiatis cibis fuperfint, five â vermibus aut vivis aut mortuis aut putridis, five denique ab aliâ corruptâ colluvie, quæ ibidem confluxit.

Quare etiam iftud morbi genus magis pauperibus familiare eft: qui, propterea quòd ob boni cibi defectum aliarumque rerum penuriam malè nutriuntur, multa utique impura in imo ventre conficiunt. Etenim ferè omnes, quos tales ægros acceperam, paupertate preffi erant; vixque inter horum viginti unus opum fatis habebat. Et fi quidem in divitum ædibus fortaffis aliquis ifto morbo laboraverat, is aut in puerorum ætate erat (qui, quoniam ventrem efu nimium implere confuefcunt, impura colligunt) aut fi adultus is fuerat, eâdem ferè de caufâ, & quoniam antea purgatus non erat, impura præcordia habebat. Quod anno potiffimum 1760 quo Petechiarum morbus maximè popularis inter nos erat, facilè videre

videre licuit: cùm in exiguâ illâ civitatis parte, in quâ denſæ pauperum tabernæ ſunt, ægrorum plus quàm in reliquâ omni civitate curaveram.

Ob quam cauſam utique infimi milites magis, quàm ſuperiores, iſto morbo afficiuntur; ſcilicet qui aut propter ciborum diverſa vitia, aut propter commodarum rerum defectum, aut propter cœli locorumque injurias, aut propter durum vitæ genus magis impura præcordia accipiunt. Quâ de re in iis utique terris, in quibus bellum geritur, vehementior morbus & eſt, & magis occupat; eoquòd incolarum corpora, quoniam miſerè vivunt, impura evenerunt, ſive inedia, ſive hoſtium rapina homines miſeros effecerit. Ob quam cauſam anno 1757 in Saxoniâ Bohemiâque plurimi homines ægrotârunt; in noſtris autem terris maximèque anno 1760 idem morbus omnino popularis in his potiſſimum locis evenit,

 quæ

quæ plurimos milites receperant: veluti in agris Olmienſibus cis Rhenum fluvium, maximè verò trans eundem Caſtellis; ſcilicet in quo pago intrà duos dimidiumque annos plus quàm centum militum millia, dum tranſierunt, diem noctemque turmatim reſederunt. Quo utique incolarum corpora & fatigata & malè nutrita fuerunt.

Quodſi verò putrida iſta colluvies excitato aliquo alvi profluvio per ſe deſcendat; etiam Petechiarum morbus, qui eſt, absque alio auxilio deſiſtit. Quemàdmodum ſuperiore loco (*a*) dixi; & nunc ſubjiciam.

Aegrotus XXI.

Anno 1761 initio menſis Februarii vir annos 40 natus morbo cum multis Petechiis absque medicinâ laborabat: obque eum per-

(*a*) Cap. III.

perinſirmus extitit; & faciem luridam & pulſum parvum habuit.

Supervenit largum alvi profluvium, quod quatuordecim continuò dies plurima putrida excuſſit, & hominem ſanum præſtitit.

Plures poſthac ægros vidi, quos alvi profluvium ſalvavit. Et, qui ab iſto morbo naturæ beneficio evenerunt, omnes iſtâ ratione convaluerunt.

At ubi iſtud alvî profluvium per ſe ſatis non eſt, & impuræ adhuc reliquiæ intus remanſerunt, purgantibus auxiliis ſuccurrere oportet.

AEGROTUS XXII.

Anno 1760 à die 26 Octobris puella 17 annos nata Petechiis, quarum paucas juxta brachia habebat, laborabat: ab ipſoque morbi principio ortum alvi profluvium eſt; quod, ut promoverem, juſſi ægram una-

quaque horâ duo cochlearia julapii aſſumere, cui oxymellis ſquillitici unciam & Salis Seignette drachmam adjeceram. His alvus liberaliter mota eſt; exque eâ multa quotidie putrida deſcenderunt.

Die ſeptimo ſupervenit oculorum rubedo, intentaque febris, & alienata mens eſt, intrà quam ægra ſæpè urinam jumentorum urinæ ſimilem emiſit.

Die 14 oculi iterum clari evenerunt, manſit autem & ſopor, & faciei tumor; at febris ipſa in calore remiſit; ſed inquietæ noctes in diem 20 usque continuârunt.

Interea autem temporis ex laxâ continuò alvo multa putrida deſcenderunt.

Die autem 20 facta rurſum facies naturali ſimilis eſt; & arteriarum pulſus ordinatus eſt, & ſomnus cum ſurditate continuavit.

Poſtea-

Posteaquam verò die 24 clausa iterum alvus fuit, decoctorum Tamarindorum uncias duas, cum Salis Seignette unciâ dimidiâ & Mannæ unciâ præstiti ; â quibus excussa multa rursum putrida sunt ; ægraque, etsi imbecilla, omnis tamen febris expers benè habuit in diem 33 usque : etsi ea nihilominus perquam surda hucusque manserit.

Die deinde 34 ægra resinæ jalappæ grana sex, totidemque diagrydii sulphurati, & Extracti panchymagogi tantundem ex pilulis assumsit. Postque has, cùm alvus septies soluta fuisset, multaque item putrida ex eâ descendissent, rectior auditus, & mitior pedum dolor, qui acutus antè fuerat, evenit.

Porrò die 37 easdem pilulas imperavi, â quibus quindecies soluta alvus est, plurimaque ex eâ iterum putrida secesserunt. Post

Poſt quæ ægra benè audiit; optimèque valuit, omnis nunc pedum doloris expers.

Denique, poſteaquam quatuordecim âb his diebus ægra aliquantum magis virium recuperâſſet, ortum per ſe alvi profluvium eſt, quod multa item putrida ſubtraxit; ægramque ad integritatem perduxit, quæ morti antè proxima eſſe videbatur.

Ex quibus rurſum patet, eſſe iſtum Petechiarum morbum â putridis rebus, quæ in imo ventre reſedêre.

Neque profectò ipſum morbi contagium ſanum quempiam, cujus præcordia pura ſunt, inficit: ſed diſpoſitos tantum occupat: ſcilicet hos, in quorum ventre impura colluvies eſt. Et ſiquidem ſanus aliquis, qui pura viſcera habet, iſtud contagium ſuſcipit; idem is aut impunè fert, aut facilè absque Petechiis ſuperat. Veluti in me ipſo bis expertus ſum. Pura enim corpora ad iſtum morbum oportuna non ſunt.

Deni-

Denique neque & hoc prætereundum ſed maximè notandum eſt: eorum, qui Petechiis hucusque laborabant, nullum dyſenteriam ante habuiſſe: neque ullum ex his, qui ſuperioribus annis dyſenteriâ laboraverant, poſtea Petechias accepiſſe. Quod, ſi perpetuum eſt, hos ideo Petechiarum morbum non admiſiſſe judico, quoniam eorum corpora per ipſam dyſenteriam purificata ante fuerunt.

Contrà poſſe verò eum, qui Petechiis ante laboraverat, dyſenteriam impoſterum accipere; quoniam, quod alibi à me propoſitum eſt, dyſenteriæ contagium etiam pura corpora prehendit. Veluti vir pauper priore anno ex Petechiis poſteriore verò ex dyſenteriâ male habuit.

Eſt autem Petechiarum morbus contagioſus; ſcilicet qui plures homines aut ſimul aut ſucceſſivè inficit. Namque anno 1760 in oppido Caſtellenſi plus quàm centum

tum homines isto morbo affecti erant. Et in ipsâ civitate Moguntinâ in pauperum tabernis nonnunquam quinque, nonnunquam novem ægri sub eodem tecto decubuerunt; ibidemque intrà angustum locorum spatium, quod vix octoginta passus æquabat, horum viginti curabam.

Scilicet dum miasma petechiale in impurum aliquod corpus intrat; atque cum his, quæ in imo ventre corrupta resident, convenit; Petechiarum morbus fit; qui modò magis, modò minùs urget, prout corruptarum rerum modò plus modò minus in infimô ventre est. Horum quidam à suscepto contagio diu ægrescunt, antequam opprimantur. Quidam verò protinus succumbunt. Quidam rursum citò sanantur. Quorundam verò morbus diu, etiam adhibitô cum auxiliô, protrahitur. Veluti nunc morborum historias proponam; iisdemque curationum experimenta subjiciam.

Nempè,

Nempè, nonnunquam Petechiæ in ipſo morbi principio erumpunt.

AEGROTUS XXIII.

Anno 1760 die 19 Martii fœmina 30 annos nata, pauper, & per ſordida ſubitò friguit, finitoque frigore calore exarſit: protinusque in univerſo corpore multas Petechias accepit. Præter hæc veteranam ſcabiem acutam in cute habuit. Urinam item jumentorum ſimilem emiſit. Ob quæ ulapium acidum atque decoctum refrigerans præcepi.

Interea autem manſit in quintum usque diem magna infirmitas, & febris maximè exarſit, cum exili arteriarum pulſu, & urinâ jumentorum ſimili: plurimæque Petechiæ univerſam cutem impleverunt.

Myrrhæ igitur grana decem, totidemque diagrydii ſulphurati, & Salis Seignette ſcrupulos duos & jalappæ radicis drachmam,

mam, & drachmam rhabarbari commiſcui; & pulveriſata in partes novem diviſi, atque horum duas portiones quotidie præſtiti.

His mota alvus die 6to eſt; ex eâdemque multa putrida mucoſa ſeceſſerunt: ipſæque Petechiæ factæ pallidiores ſunt: & die 7mo poſt aſſumtum eundem pulverem ægra alvum ſexies depoſuit, multaque item putrida dejecit. Inde 8vo & 9no die melius habuit, ſuperſtite exiguâ febre & raris Petechiis.

Die 10 ægra duas rurſum pulveris doſes aſſumſit; poſtque has multa iterum putrida depoſuit, & urinam jumentorum ſimilem emiſit. Diebus deinde 11 & 12 poſt ſimilem pulverem ægra cùm multa denuò putrida dejeciſſet, die 13 inclinatâ febre absque Petechiis erat; & graviter audivit: atque ubi die 14 & 15 eodem pulvere purgata iterum fuiſſet, die 16 benè dormivit, cibos appetiit, & tuſſi multum muci rejecit,

cit, omnis febris & Petechiarum expers. Poſteaquam denique die 17, 18, & 19 omnia impura hoc ipſo pulvere excuſſerat, proſperè valuit.

AEGROTUS XXIV.

Anno 1760 mulier 50 annorum die 27 Aprilis horâ 6tâ matutinâ ſubitò horruit, ſinitoque poſt duas horas frigore ortus calor eſt; intrà quem proximè ſequente horâ undecimâ multæ in cute Petechiæ eruperunt; 80 ferè in unoquoque interno brachio.

Iſto die ægræ julapium acidum & decoctum refrigerans liberaliter præcepi; poſtero verò die Tartari emetici grana duo & radicis Hypecacuanhæ grana duodecim, â quibus muci multum vomitu rejecit; & excitato ſimul alvi profluvio multa putrida mucoſa depoſuit. Poſthæc omnis calor veſperi eſſe deſiit, & aliquantum ex Petechiarum colore minutum eſt.

Tertio die ægra benè habuit; neque caluit, ipſæque Petechiæ quamplurimum ex colore rubro amiſerunt.

Quarto item die reſinæ jalappæ granis quinque, totidemque dyagridii, & pulveris radicis rhabarbari granis 20 alvus vehementer mota eſt, ex eâdemque multa rurſum putrida excuſſa ſunt: poſt quæ ægra omnis febris atque Petechiarum expers proximâ nocte benè dormiit, & altero die optimè valuit. Suaſi deinde, ut ægra alvum eodem pulvere quamproximè purgaret; quo, ſiquid putridi fortaſſis intus remanſiſſet, idem ſubtraheretur.

Quodſi porrò putrida iſta colluvies adhibito protinus auxilio omnis evacuatur, ſubitò etiam febris ex toto deſiſtit, ipſæque Petechiæ diſparent.

AEGRO-

AEGROTUS XXV.

Anno 1760 die 20 Martii puella 20 annos nata ſubito ægrotavit: inque ipſo morbi principio aliquæ juxta collum intràque brachia Petechiæ prodierunt: ſimulque ægra pulſum exilem, & faciem luridam, & oculos retractos, & reſpirationem denſam accepit, & cibos nauſeavit.

Porrecto autem protinus medicamento emetico expulſa multa impura ſunt.

Supererat altero quidem die aliqua infirmitas Petechiæque; quæ tertio die, excuſſo morbo, omnes evanuerunt: & quarto die ægra optimè valuit.

AEGROTUS XXVI.

Hujus ægræ famula eodem die hoc ipſo morbo laborabat; quæ ſimiliter poſt aſſumtum emeticum quarto item die convaluit.

AEGROTUS XXVII.

Anno 1760 die 24 Martii puella 24 annos nata verſus veſperum ſubitò malè habuit. Doluit nempè capite; & factus arteriarum pulſus frequens & parvus eſt, ipſaque reſpiratio denſa: protinusque ſecundum interna brachia juxtàque collum Petechiæ utrinque ferè triginta provenerunt.

Altero die ægra poſt aſſumtum medicamentum emeticum quater valdè vomuit, & ſemel alvum liquidam depoſuit. Finitoque vomitu requies erat. Et tertio die Petechiæ pallidiores evenerunt. Urina autem craſſa facta eſt.

Quarto demum die poſt purgans pharmacum ortum largum alvi profluvium eſt, quod ubi plurima putrida mucoſa cum teneſmo in diem ſextum usque excuſſerat, Petechias & morbum finivit.

Etiam

Etiam Petechiæ, quæ jam diu in cute ſubſtiterunt, protinus, ut alvus ex toto purgata eſt, cutem dimittunt.

Aegrotus XXVIII.

Anno 1760 die 23 Aprilis mendicus 30 annos natus à 14 jam diebus Petechiis abſque auxilio laboraverat.

Non equidem nunc is febre multum incaluit, aut pulſum frequentem habuit; at luridam tamen faciem, & corpus infirmum, plurimasque in univerſâ cute Petechias.

Protinus reſinæ jalappæ grana ſeptem & diagrydii grana ſex cum ſale trita ex ſyrupi florum perſicorum unciâ ingeſſi. His alvus vehementer mota eſt; ex eâdemque plurima mucoſa putrida deſcenderunt. Indeque veſperi neque febris neque Petechiæ ſupererant.

 Altero

Altero deinde die æger omnis febris Petechiarumque expers exivit, ſtipem in triviis quæſitum.

Suaſi, ut impoſterum ventrem eodem pharmaco purgaret; quo, ſiquid putridi intùs ſupereſſet, idem omne ſubtraheret. Quod cùm feciſſet, bonam ſuam valetudinem confirmavit.

Contrà verò in quorum ventre impura diu relinquuntur; in eorum etiam cute ipſæ Petechiæ permanent.

Aegrotus XXIX.

Anno 1760 menſe Aprili vir pauper 50 annos natus à 14 jamjam diebus Petechiis laborabat; adverſus quas julapium acidum & corticem peruvianum, quæ à medico acceperat, fruſtrà aſſumſit.

Die morbi 15to iſte quidem æger in triviis ambulans ad me venit, infirmus, facie pallidâ & hippocraticâ ferè. Erant ejus

pedes

pedes œdematoſi ad ſuras usque ; univerſa cutis plena Petechiis , quarum quam plurimæ ipſam quoque faciem, tempora , frontem , & ipſas etiam oculorum palpebras impleverant.

Huic protinus die 16to Tartari emetici grana duo & radicis Hypecacuanhæ grana duodecim exhibui : â quibus & bilis & muci multum ore rejecit.

Die 17 morbus Petechiæque eædem ſubſtiterunt. Quare die 18 reſinæ jalappæ grana octo cum granis quatuor diagrydii ingeſſi, ammiſtâ ſyrupi florum perſicorum unciâ : quibus excuſſa multa item putrida mucoſa ſunt.

His æger die 19 melius habuit; viribusque aliquantum recuperatis in triviis obambulavit.

Porro is die 21 ad me venit , pallidus , & adhuc cum Petechiis juxtà brachia potiſ-

ſimum, inque fronte, & cum pedum tumore. Quare ei ſimile purgans pharmacum præſtiti; â quo laxatâ ſepties alvo plurimus mucus absque ſtercore ferè deſcendit. Indeque ſecutus profectus eſt, pedumque tumor concidit, isque poſt diem 23 orto liberaliore urinæ profluvio penitùs evanuit.

Die 26 æger nondum perfectis viribus & pallidus facie cibos necquicquam appetiit: plurimaque adhuc Petechiarum veſtigia in cute retinuit. Obquam cauſam poſtero die ejus alvum purgante pharmaco iterum ſubmovi, multaque iterum mucoſa ex eâ ſubtraxi. At, cùm illum poſt diem 40, & foris & domi vidiſſem, is proſperè valuit, cibosque avidè deſideravit, Petechiarum expers.

In hujus igitur cute Petechias 25 ferè dies perſtiterunt.

AEGRO-

Aegrotus XXX.

Anno 1760 puella 9 annos nata, pauperrima, ſub perfracto tecto à 25ma Martii ægrotabat; in ejusdemque cute multa Petechiarum millia extabant. Neque ægra propter matris ſuæ incuriam vix ſatis aquæ acceperat, quâ ſitim temperaret.

Hanc 8vo morbi die, quo eam primâ vice viſitavi, perinfirmam, febre maximè calentem, & graviter audientem inveni. Cui protinus dimidiam ſyrupi de cichorio cum rhabarbaro atque aquæ fragariæ unciam, & reſinæ jalappæ atque diagrydii grana tria cum cremore tartari trita ingeſſi: quæ alvum valdè moverunt, & in diem usque decimum laxam tenuerunt. Inde multa putrida mucoſa deſcenderunt; inque anô atque medio ventre excitatus, tanquam à vermibus, acutus dolor eſt. Interea autem temporis ægra & ſurda manſit, & febre ca-

luit: ipsæ verò Petechiæ factæ pallidiores jam sunt. Jussi præterea, ut ægræ unaquaque horâ duo cochlearia julapii ex aquæ fragariæ & florum sambuci unciis tribus cum aceti destillati unciâ dimidiâ, & nitri dimidiâ drachmâ, & syrupi rubi idæi unciâ exhiberentur. His die undecimâ duodecimâque aliquantum ex calore minutum est; & Petechiæ pallidiores evenerunt, neque harum ullæ suprà pectus supererant. Erat interea ægra surda valdè.

Die 13 ægra sine febre erat, & assumto eodem syrupo purgante septies alvum deposuit. Die item 14 duodecies secessit, multaque putrida mucosa dejecit; febrisque nunc expers cibos, etsi adhuc surda, appetiit.

Die porrò 15 laxata item alvus est; ægraque multum dormivit quasi soporosa; neque nisi juxtà brachia Petechias adhuc habuit; neque adeo surda erat; neque uti antea, facie tumebat. Die

Die 16 poſt aſſumtum rurſum laxantem ſyrupum alvum ſex itibus exoneravit, exque eâ multa mucoſa excuſſit, omnis febris expers; cum pleno lentoque arteriarum pulſu. Die 17 poſt eundem Syrupum ægra multa item mucoſa demiſit.

Diebus verò 18 & 19 bene habuit; cibosque deſideravit, necquicquam facie tumida. Die deinde 20 aſſumto item purgante ſyrupo alvus hoc die decies & altero die ter laxata eſt; ex eâdemque multum putridi muci deſcendit. Inde benè habuit ægra, cibosque appetiit, & ſine febre erat, atque ipſæ Petechiæ quam plurimum â rubore declinârunt.

Die 23 eundem denuò Syrupum aſſumſit; â quo multa putrida cum iisdemque quatuor lumbricos emolita eſt; & optimè valens lectum deſeruit in triviis ſedens.

Die 29 alvum rurſum purgavi; ſicque morbus finem habuit.

Cùm-

Cùmque iſta puella die etiam 40 in tri-
viis proſperè valens obambulâſſet; in eju
tamen cute multæ Petechiarum reliquiæ
ſuperfuerunt. Harum verò nihil die 47.

Atque in hac quidem cute Petechiæ
40 ferê dies reſtiterunt.

AEGROTUS XXXI.

Anno 1760 puella 15 annos nata, pau-
per, 25mâ Martii infirma evenit, & die 2
febre exarſit. Erat ei calor ingens, & mul-
ta ſitis, & arteriarum pulſus parvus atque
frequens: univerſaque corporis cutis innu-
merabilibus Petechiis veluti obſita; qua-
rum omnes rotundæ, aliquæque ex his ma-
jores ùt grana milii erant, inter quas mi-
nimæ tanquam acu punctæ intercesserunt.

Huic 5to morbi die reſinæ jalappæ gra-
na quinque totidemque diagrydii cum Sale
trita ex Syrupi de cichoreo cum rhæo &
aquæ fragariæ drachmis ſex exhibui. His

alvus

alvus ſexies mota eſt; multaque mucoſa putrida ex eâ deſcenderunt. Erat præter hæc urina quemadmodum cereviſia turbida.

Die 6 idem purgans ægræ indidi: juſſique, ut unaquaque horâ duo cochlearia julapii aſſumeret, adjectâ oxymellis ſquillitici ſesqui unciâ. His alvus rurſum ſubmota, excuſſaque item multa putrida ſunt.

Die 7 ægræ pedes & manus tanquam convulſi ſubſiliebant. Acceſſit ſurditas, & urina tenuis.

Die 9 pulverem purgantem præſtiti qui motâ ſexies alvo mucoſa expulit. Inde die 10 minimæ Petechiæ evanuerunt, majores verò eædem ſuperſtiterunt. Aegra porrò febre maximè inarſit, neque die 11 ſomnum cepit, at tenuem urinam emiſit: rurſumque pulverem purgantem aſſumſit; iterumque multa putrida cum iisdemque grandem vermem alvo emiſit. Interea autem

tem calor ingens fuit, multæque ſublividæ Petechiæ ſupererant, ſurditasque.

Die 12 aſſumtis duobus pulveribus ex oxymelle ſquillitico alvus decies ſubmota eſt. Calor verò magnus idem manſit.

Die 13 rurſum duos pulveres purgantes cum oxymelle ſumſit: hosque ſecutæ ſunt alvi ſedes novem putridæ. Urina verò jumentorum ſimilis evenit. Diebus item 14 & 15 eodem pulvere purgante alvus ſæpiſſimè mota eſt, multaque putrida cum iisdemque rurſum vermis deſcenderunt. Interea autem febris, quemadmodum ante fuerat, continuavit; & grandes Petechiæ eædem ſuperſtiterunt, evanuerunt verò minimæ harum, continuavit ſurditas, noctu autem crura pedesque ſubſiliebant; ſic, ut convulſa eadem fuiſſe parentes putarent. Die 16 Mannæ ſesqui unciam, & Salis Seignette drachmas duas ex ſucci citrei unciâ & ſufficiente quantitate aquæ fragariæ præcepi:

cepi : quas ſecutæ alvi ſedes ſeptem ſunt; indèque febris in calore remiſit, factaque ipſa tuſſis humida eſt, & urina tenuis evenit & ægra die 18 & 19 ſputa facilè ejecit; neque febre caluit; arteriarum pulſus factus mollis eſt, & facies bona, & oculi clari, qui impoſterum non rubebant. Cutis autem perplena Petechiis manſit.

Die porro 20 ægra ſyrupum purgantem iterum aſſumſit, â quô laxatâ ſexies alvo multa mucoſa exierunt. Interea benè dormiit, febris expers & plena Petechiis.

Die 23 hoc ipſo pharmaco multa item impura ſurſum atque deorſum excuſſit in diem 24mum usque.

Diebus 25 & 26 ægra benè habuit ſine febre & ſine tuſſi; diſtinctè audivit, cibos appetiit; ejusdemque Petechiæ pallidiores nunc erant. Die 27 pharmaco rurſum purgata muci multum depoſuit; indeque optimè valens lectum deſeruit. Paulo poſt ægræ

alvum

alvum resinæ jalappæ granis quinque totidemque diagrydii, ex florum persicorum syrupi unciâ purgavi. Supererant nihilominus multæ Petechiæ,

Denique die 40 assumto pulvere emetico septies bilis multum evomuit, atque hucusque optimè valuit. Nihilominus, etsi prosperê valuerat, multa tamen die 43 Petechiarum vestigia in dorsi cute retinuit.

In hac igitur ægrâ Petechiæ 40 ferè dies substiterunt. In aliorum etiam cute Petechiæ 20, in aliorum 30 diebus, in aliorum item duobus mensibus superfuerunt: veluti infrà videre licet.

Possunt quoque Petechiæ, etiam quæ evanuerunt, reverti; aut, quæ sunt, diutiùs manere; ubi alimenta vel impura vel digestu difficilia antè assumuntur, quàm infimus venter ex toto purgatus est.

AEGRO-

AEGROTUS XXXII.

Anno 1760 â 28 Martii die laborabat mulier pauperrima 38 annos nata. Tertio morbi die multa millium millia Petechiarum in ejus cute etiam in oculorum palpebris ſtabant; quarum aliquæ ùt lentes latæ erant. Erat ægra perinfirma, & febre vehementer incaluit: acceſſit fluxus ſanguinis menſtruus, qui in octavum usque diem continuavit; at quo ægra ſanguinis neque plus neque minus, quàm quidem ſana aſſueverat, emiſit.

Poſt iſtum ſanguinis fluxum menſtruum Petechiæ, quales antèfuerant, in cute ſuperſtiterunt; & ægra febris expers, etſi perimbecilla, lectum deſeruit.

Huic Myrrhæ grana decem, totidemque diagrydii cum ſale trita, & jalappæ radicis rhabarbarique ſcrupulos duos commiſta, & in ſex deinde partes diviſa, dedi.

 Cùm-

Cùmque die 10 duas hujus pulveris portiones assumsisset, depositâ quater alvo multa impura dejecit. Inde Petechiæ factæ pallidiores sunt, & ægra febris expers cibos valdè desideravit.

Cùm autem die 12 ægra carnis nimium comedisset; orta rursum febris est, ipsæque Petechiæ factæ iterum magis rubræ sunt. Quare die 13 resinæ jalappæ & diagrydii grana sex cum syrupi florum persicorum unciâ assumsit, â quibus alvum sexies deposuit, & urinam jumentorum urinæ similem emisit: nihil autem ex febre imminutum est.

Die verò 15 post tres alvi sedes febris esse desiit.

Die porrò 17 resinæ jalappæ granis septem & granis quatuor diagrydii & syrupi florum persicorum unciâ alvum probè purgavit: indeque lectum dimisit, & foris obambulavit. Ipsæ autem Petechiæ nume-

ro

ro quidem eædem at colore magis pallidæ in cute reſtabant.

Die 24 ortus in ſiniſtro hypochondrio acutus dolor eſt: qui poſt aſſumtum eundem ſyrupum purgantem atque inde expulſum multum mucum protinus ſubmotus eſt: cùmque ægra die 31 iterum purgata fuiſſet, multumque denuò muci dejeciſſet, bellè habuit; neque niſi levia aliqua Petechiarum veſtigia alicubi in cute retinuit. Ipſeque pedum tumor, qui erat, concidit.

Iſta autem ægra diebus 42 & 45 poſt aſſumtum nimium cibum totam iterum cutem plenam Petechiis perrubris & veluti ſplendentibus accepit. Ut verò aſſumtis pilulis viginti ſex alvum ſedecies depoſuit, exque eâ nonniſi mucum plurimum absque ſtercore dejecit, benè iterum habuit.

Inſuper diebus 69 & 75 & 78 ægra cùm rurſum nimium comediſſet, è ventriculo doluit, & cibos nauſeavit, & plurimas jux-

tà collum ſecundumque brachia Petechias recepit: igitur ejus alvum etiam viginti ſex pilulis purgavi: quæ, ut multum item mucum ſubtraxerunt, ægram impoſterum integram & Petechiarum expertem reliquerunt.

Aegrotus XXXIII.

Anno 1760 puella 9 annos nata, quæ inter infectas ſocias cubuerat, die 19 Aprilis poſt prandium calore exarſit: poſteroque die cutem habuit plenam Petechiis.

Huic 3 die tartari emetici ſesqui granum & radicis Hypecacuanhæ grana decem indidi; â quibus ſæpè vomuit; & alvum aliquoties depoſuit. Inde altero die aliquantum & ex febre & ex Petechiis minutum eſt.

Quinto die ægra purgans pharmacum, ut aſſumſit, idem protinus vomitu rejecit: poſteaque die 6 major Petechiarum numerus,

rus, quæ omnes purpureæ, & quemadmodum vitreæ ſplendentes erant, provenit; quas inter aliquæ latæ ùt lentes ferè erant, tanquam harum plures conveniſſent; cum magno interea febris calore.

Die 9 reſinæ jalappæ grana quatuor totidemque diagrydii & grana quindecim rhabarbari ægra aſſumſit: exque his poſt octo alvi ſedes liquidas die 10 benè habuit, omnis febris & Petechiarum expers. Deindeque cibos vehementer deſiderans die 12 in triviis ſana decurrebat; ne minimum quidem in cute Petechiarum veſtigium habens.

At, ut nimium edit, orta rurſum continua febris eſt, cujus exacerbationes tertianæ videbantur; novæque cum alterâ ejus exacerbatione Petechiæ per cutem quam plurimæ prodierunt.

Quare die 17 trita cum ſacharo diagrydii & reſinæ jalappæ grana quatuor indidi;

per quæ cùm multum muci alvo, nec parum bilis ore excuſſum fuiſſet, febris cumque eâ Petechiæ ægram dimiſerunt.

Aegrotus XXXIV.

Anno 1760 puer 14 annos natus die 4 Maii febre vehementer exardeſcere cœpit, intraque eam die 3 plurimas in cute Petechias accepit: ortæ quoque ſunt ſedes alvi laxæ quatuor, per quas multa putrida deſcenderunt.

Aſſumtis die 5 Hypecacuanhæ granis decem & Tartari emetici ſesqui grano æger multum bilis & duos grandes vermes vomitu rejecit: ſanguinem item naribus ſtillavit, & oculos retractos habuit; quemadmodum qui tabe propter vermes laborant. Acceſſit acutus brachiorum & pedum dolor veluti rheumaticus.

Die 6 aſſumſit reſinæ jalappæ diagrydiique grana quinque ex ſyrupi florum perſicorum

ſicorum unciâ, quæ ſecutæ ſunt ſedes alvi decem cum multis putridis mucoſis dejectionibus. Inde arteriæ quieverunt, & febris eſſe deſiit, & Petechiæ numero defecerunt.

Die deinde 7 & 8 in triviis obambulans benè valuit, abs ullâ Petechiarum notâ.

At ubi die 12mo nimium cibum devoravit, excitata rurſum febris, ortusque in manibus pedibusque tanquam â formicis acutus dolor eſt; cum plurimis iterum in univerſâ cute Petechiis. Ob quæ ægri alvum poſterô die laxante ſyrupô item purgavi: quod profecit, & omnem dolorem excuſſit, plurimasque Petechias delevit, ad harum aliqua tantum veſtigia usque.

Supervenit deinde die 23 alvi profluvium: quod adjectis die 24 reſinæ jalappæ diagrydiique granis ſex & ſyrupi florum perſicorum unciâ perfeci. Inde ſecutæ plurimæ dejectiones alvi mucoſæ ſunt, quæ valetudinem integram effecerunt.

AEGROTUS XXXV.

Anno 1761 initio menſis Februarii tres pueri, quorum unus 7, alter 4, alter 2 annos natus erat, morbo cum multis Petechiis laborabant. Aſſumto verò julapio, cui oxymellis ſquillitici ſesqui uncia & Salis Seignette drachmæ duæ cum ſyrupi florum perſicorum unciâ adjectæ erant, eorum alvus ſæpè laxa evenit, eâdemque plurima impura cum iisdemque vermes deſcenderunt: ſicqne ægri convaluerunt.

At verò eſurientes pueri cùm plurimum comediſſent; rurſum febre poſt 15 dies incaluerunt; intraque eam protinus Petechias iterum acceperunt.

Quare denuo medicamentum purgans iisdem ingeſſi; â quo, cùm excuſſa multa putrida cum iisdemque rurſum vermes fuiſſent, purgatâ probè alvo omnes convaluerunt.

AEGRO-

AEGROTUS XXXVI.

Anno 1761 fœmina 40 annos nata, in cujus tabernaculo 6 ægri Petechiis laborabant, die 14 Februarii, ubi benè valere se putabat, pilulas purgantes assumsit; per quas & morbum, quem metuebat, caveret, & ipsa contra contagium tuta foret.

At hoc ipso die post prandium succubuit; plurimasque protinus Petechias in cute accepit.

Huic postero die decoctum refrigerans, & julapium cum oxymellis squillitici unciâ & Salis Seignette drachmis duabus medicinæ dedi: quibus, cùm ea alvum necquicquam movissent, radicis rhabarbari grana decem manè & vesperi adjeci.

His turbata alvus est, multaque ex eâ putrida mucosa descenderunt in diem nonum usque: inter hæc etiam urina jumentorum similis evenit.

Acceſſit die 5 ſurditas & levis in cute aurigo. Die porrò 7 plurimæ Petechiæ, eædemque perrubræ tanquam ſplendentes, extabant: quæ poſt aſſumta iterum purgantia remedia die 11 evanuerunt, interea cùm ægra multa putrida in diem 15 usque dejecerat. Inde lectum deſeruit, febris & Petechiarum expers.

Poſteaquam verò ægra, propterea quòd benè habere ſe ſentiebat, carnis paulò plus comedit, orta rurſum febris atque infirmitas eſt: inque univerſâ cute plurimæ denuo Petechiæ eruperunt. Quare protinus reſinæ jalappæ grana ſex totidemque diagrydii cum rhabarbari ſyrupo præſtiti: quæ motâ quindecies alvo plurima putrida detraxerunt; deletisque inde ſubito omnibus Petechiis ægram reſtituerunt.

Paulo deindè poſt, ut coctam paſtam comedit, denuo ægrotavit: at aſſumto eodem item purgante pharmaco grandem lum-

lumbricum ore & multa putrida alvo dejecit.

Præter hæc ægra facie, & ſtomacho, atque pedibus intumuit. Utique, quoniam aliquæ adhuc impuræ reliquiæ in ejus infimo ventre remanſerunt. Ob quas & Myrrhæ & Diagrydii & Salis Seignette & radicis jalappæ rhabarbarique pulverem aliquandiu præſtiti, qui expulſis infrà omnibus impuris rebus ad integram valetudinem perduxit.

AEGROTUS XXXVII.

Anno 1760 menſe Decembri puer 7 annorum febre continuâ cum multis Petechiis laborabat: â qua poſt adhibita purgantia remedia & injecta enemata evenit. Conſului deinde, ut pueri alvus, quoniam ea non omninò pura erat, pharmaco impoſterum purgetur.

Quod remedii genus quoniam ob matris ſocordiam omiſſum erat, puer proximo anno

anno 1761 menſe Majo in eundem morbum relapſus eſt; iterumque purgantibus auxiliis reſtitutus.

Cùmque deinde æger etiam poſt iſtum morbum multum eſuriiſſet; eidemque mater, quæcunque voluit, edenda conceſſiſſet; rurſum febris cum eâdemque multæ iterum Petechiæ reverſæ ſunt. Quæ adhibitis item purgantibus auxiliis excuſſæ ſunt.

AEGROTUS XXXVIII.

Anno 1761 initio Martii menſis febre cum multis Petechiis laborabat mulier 44 annos nata, intràque eam ſanguinem utero emiſit, etſi octiduo ante tanquam ordinario tempore ſanguinis fluxum menſtruum habuerat.

Huic julapium adjectâ oxymellis ſquillitici & ſyrupi roſarum ſolutivi unciâ & drachmis duabus Salis Seignette cochleatim ingeſſi.

ingeſſi. Quibus convaluit; & Petechiarum expers domum egreſſa eſt.

Cùm verò die 27 Martii per famem carnis paulò plus comediſſet, reverſa protinus febris, cumque eâ omnes Petechiæ ſunt.

Porro aliquorum Petechiæ etiam poſt annum revenerunt: quod infrà dicetur.

Ex his igitur rurſum patet; Petechias necquicquam criticas eſſe : neque per eas vitiatam morbi materiam ad extremam corporis cutem proferri: quoniam, â quo tempore iſtæ quidem maculæ in cute ſunt, morbus ipſe & pejor eſt, & febris magis exardeſcit. Neque certo temporis termino erumpere easdem, ſed modò ſeriùs modò ociùs, ſæpè etiam in ipſo morbi principio, accedere; prout ſcilicet vitiatæ materiei modò plus modò minus eſt, eademque ſive magis ſive minus computruit, aut intus in corpore vel collecta vel infecta vel mota eſt. Quorundam enim Petechiæ primô, quædam

dam alterô, quædam ſeptimô, quædam nonô die, quædam etiam ſeriùs proveniunt: neque, quæ tardiùs exeunt, plus quàm quæ citiùs erumpunt, juvant: neque harum ullæ quicquam proficiunt: ſecus, ac â criticis exanthematum eruptionibus contingere conſueſcit. Adde, neque vel citiùs vel tutiùs convaleſcere eos, qui Petechias diutiùs tenent, quàm qui eas citiùs amittunt. Quodſi verò, ùt quidam volunt, Petechiæ ipſæ criticæ eſſent; utique poſſent neque purgantia auxilia neque alvi profluvium morbum, ſi ita eſſet, excutere; contrà verò turbatâ ſcilicet iſtâ criſi & revocatâ ità intùs materiâ, pernicioſiorem eundem efficere. Quod item ab experientiâ alienum omninò eſt.

Deinde, tum ipſas Petechias citiùs evaneſcere, morbumque ipſum ociùs ſubmoveri, cùm impuræ res, quæ in imô ventre reſedêre, citiùs adhibito purgante pharma-


co

co excutiuntur. Reverti verò easdem; ubi nova rurſus impura colluvies ab aſſumto cibo intus aut colligitur, aut cum impuris quibusdam reliquiis ibidem convenit. Perſiſtere autem Petechias quamdiu alvus purgata non eſt, etſi alia quæcunque ſive ſudorifica ſive aromatica remedia adhibita fuerint.

Contrà verò eſſe Petechias ſignum, ex quo noſſe liceat, multa impura in infimô ventre contineri. Perinde ac â comeſto putri mytulo maculæ in cute apparent; eædemque rurſum evaneſcunt, cum alvus vel ſuprà vel infrà purgata eſt. Vel, uti lenticulares nonnunquam maculæ tanquam latæ Petechiæ in infantum cute erumpunt; in quorum imô ventre aut vermes aut horum putrida cadavera, aut alia quæpiam impura colluvies eſt; iſtæque maculæ, ut alvus pharmaco purgata eſt, iterum recedunt.

Id

Id eſt, Petechias non priùs fieri, quàm ubi earum miaſma cum putridis rebus, quæ in imô ventre reſident, coïvit.



CAPUT V.

PETECHIARUM MIASMA IN QUA CORPORIS PARTE RESIDEAT?

Magis autem ad rem pertinet, ſcire, Petechiæne in ægrorum cute exiſtant, propterea quòd earum miaſma in ipſum ſanguinem intravit eundemque vitiat? an verò, eo quòd illud in ipſo infimo ventre decumbit, manetque; neque ex eo loco in cæteras corporis partes dividit ſe?

De quâ quidem re potiſſimum ſic judico: apparere in cute Petechias maximè quoniam petechiale miaſma cum corruptâ illâ materiâ, quæ in imô ventre ante reſidebat, coïvit;

coïvit; minimè verò quoniam idem miasma in ipsum sanguinem intravit. Id his præcipuè patet; quoniam in multorum ægrorum cute, etiam primo morbi die, ipsæ protinus Petechiæ sive raræ sive plurimæ, eædemque perfectæ, apparent; ante scilicet, quàm possit ipse sanguis isto miasmate infectus esse. Quoniam, è quorum infimo ventre corrupta materia protinus omnis sive vomitorio sive infrà ducente pharmaco excutitur, eorum etiam Petechiæ subitò tolluntur. Quoniam in quorum imô ventre multa corrupta remanent, in eorum etiam cute Petechiæ diutiùs subsistunt. Quoniam Petechiæ evanescunt, venter ubi aut adhibito purgante pharmaco, aut alvi profluvio, quod supervenit, purgatus fuit. Quoniam, quibus talia non contingunt, Petechias retinent, donec ipsi ex toto purgati sint. Quoniam nonnunquam etiam Petechiæ absque febre sunt. Quoniam sæpè ipsa febris, etiam posteaquam Petechiæ disparuerunt,

 vehe-

vehemens esse continuat. Quoniam Petechiæ, quæ post subtractam aliquam putredinis portionem evanuerunt, revertuntur; quandoquidem ægri ante, quàm alvus ex toto purgata sit, in diætæ leges peccant, comestique crudis rebus ventrem gravant. Quoniam (quod proximo capite dicetur) Petechiæ, quæ propter adhibita alexipharmaca remedia, & absque alvi aliquo profluvio evanuerunt, iterum, ubi ægri ista alexipharmaca missa fecerunt, recrudescunt. Quoniam, qui infimi ventris viscera pura habent, Petechias, suscepto quamvis miasmate, non accipiunt: quod item supra â me dictum est. Quoniam, ùt paulò magis infrà (*b*) ponam, Petechiæ alios aliquos morbos, cum quibus convenerunt, neque alterârunt neque pejores effecerunt, sed tales, quales esse consuescunt, siverunt: id est hos, qui orsi ab aliquo intra ipsum sangui-

(*b*) Cap. X.

ſanguinem vitio ſunt. Veluti febrem intermittentem, aut dyſenteriam, aut variolas Petechiæ, ſi ſupervenerunt, necquicquam vel exacerbârunt vel mutârunt. Quoniam, qui cum Petechiis ægrotant, ſimili ratione malè habent, quâ ii, qui ſine Petechiis propter impuram in imô ventre colluviem laborant. Quoniam multi eodem morbo etiam absque Petechiis affecti ſunt.

Citiùs autem erumpere ipſam febrim eandemque magis exardeſcere, ubi Petechiarum miaſma cum putridis illis in imô ventre rebus, ſcilicet â quibus febris per ſe talis eſſe poteſt, convenerit: nempe quo talium cauſarum conventu & febris vehementiùs efflagrat, & major putredinis nota materiei adjicitur.

Atque iſta quidem ſententia, etſi ſuperioribus curationum experimentis ſatis ſuperque comprobata ſit; nihilominus, quoniam ea maximi momenti eſt, ad confirman-

dam ejus veritatem aliqua adhuc exempla nunc ſubjiciam: maximèque quoniam erunt fortaſſis aliqui, quibus id, quod hucusque propoſitum eſt, vix ſatis eſſe poteſt.

Scilicet diximus, per difficilem ſæpè iſtum morbum, quamvis cum paucis Petechiis, eſſe; ipſamque febrim, etiam poſteaquam Petechiæ evanuerunt, diu continuare: propterea quòd multæ adhuc impuræ reliquiæ in imô ventre ſuperſunt.

AEGROTUS XXXIX.

Anno 1760 die 18 Octobris puella 20 annos nata ægreſcere cœpit cum vomendi deſiderio. Huic chirurgus ſanguinem è venâ miſit; & altero die pilulas purgantes exhibuit: cùmque febris exarſiſſet, ſecta item in pede vena eſt.

Die 4 in auxilium vocatus julapium acidum & decoctum refrigerans, cui nitrum & acetum deſtillatum adjecta erant, liberaliter

liter præſtiti, atque veſperi enema ex ſero lactis cum melle & nitro imperavi.

Die 6 decem ferè Petechiæ juxtà utrumque brachium, nullæ verò ſuprà collum pectusve provenerunt; quæ poſt tres dies iterum evanuerunt.

Interea autem temporis ægra decoctum julapiumque refrigerans aſſumere continuavit; atque enema quotidie accepit, quod ſecutæ ſunt dejectiones alvi putridæ. Ob quas decoctos cum ſero lactis tamarindos adjectâ Salis Seignette dimidiâ unciâ & mannæ unciis duabus exhibui. A quibus multa maximè putrida deſcenderunt.

Inter hæc acceſſit tuſſis arida, deliriumque, tremor manuum, ſubſultus digitorum, corporisque frequens denudatio, ſurditas item & oculorum rubor.

Alternis itaque diebus modò enema refrigerans modò purgantes pilulas præcepi: â quibus multa item putrida deſcenderunt

 in

in diem 20 usque. Poſt hæc nunc decoctum purgans nunc purgantes iterum pilulas, interjectis enematibus, præſtiti; quæ multa rurſum putrida ſubtraxêre. Nihilominns & eadem ſurditas, & vehemens delirium, & febris ardor idem manſerunt.

Die deinde 28 ortus vomitus eſt, quo muci multum excuſſum eſt: poſteroque die, cùm ægra tincturæ rhabarbari aquoſæ uncias duas & Salis Seignette drachmas duas ex ſyrupi roſarum ſolutivi unciis duabus aſſumſiſſet, ſecutæ ſunt alvi ſedes quatuor. Poſt quas ægra â die 30 in 35 usque purgantes iterum pilulas quotidie aſſumſit; multaque inde rurſum putrida depoſuit: iterumque poſt aſſumtum die 38 ſyrupum purgantem muci multum ore & alvo emiſit: tandemque die 42 reſipuit, & rectiùs audivit.

Cùmque mens rediîſſet, ægra perimbecilla decubuit, exque pedibus vehementer, quemadmodum à rheumatico crutiatu, doluit.

Ab

Ab isto porrò tempore, quoniam arteriarum pulsus per tres imposterum menses exilis extitit, adhibita sæpè purgantia auxilia sunt; quæ ducendo alvum, atque trahendo multa putrida mucosa ægram ad integritatem perduxerunt.

Ex quibus igitur patet; etiam istum morbum non propter paucas illas Petechias, quæ facilè evanuerunt, adeo longum difficilemque fuisse: sed febrim, quemadmodum suprà jam demonstratum est, ideo multum exarsisse diuque continuâsse, propterea quòd putrida in imô ventre materia exuperaverat.

Deinde memoravimus, Petechias nonnunquam etiam sine febre esse.

Aegrotus XL.

Anno 1760 mense Majo puella 12 annos nata venit ad me, cum facie pallidâ, & respiratione angustâ, & pulsu parvo, & ali-

quâ in membris laſſitudine ; multas ſecundùm utrumque brachium maximèque juxtà carpum & ſuprà muſculum bicipitem itemque circum collum Petechias habens. Nihilominus ea erecta obambulavit, & in triviis circumiens cibos neque nauſeavit neque deſideravit eosdem.

Convaluit, poſteaquam adhibito purgante pharmaco plurima putrida multumque mucum dejecit.

AEGROTUS XLI.

Eâdem tempeſtate puer 14 annos natus ſimiliter Petechiis etiam absque febre laborabat, & in triviis cum iisdem obambulabat. Eum medicamenta purgantia, quæ multa putrida ſubduxerunt, reſtituerunt.

AEGROTUS XLII.

Anno 1763 initio menſis Septembris ſeptem homines in unâ eâdemque domo atque

que familiâ quamplurimas Petechias absque ullâ cæterum noxâ habebant, contrà verò omnes, quasi nihil ex eorum valetudine vitiatum esset, valuerunt; hilarisque animi cibos desiderârunt; placidè dormiêrunt; quemadmodum sani consueverunt.

Unus ex his puer duorum annorum erat, qui universam corporis cutem adeo plenam Petechiis circumscriptis purpureis habuit; ut eæ etiam juxtà tempora exque ipsis oculorum palpebris plurimæ prorupeint. Nihilominus iste puer & benè dormiit; & avidè cibos manducavit; & tempus pro consuetudine ludendo jucundè trivit; neque ullâ ratione malè habuit. At cùm ejus alvum sæpè pharmaco submovissem; exque eâ multum tenacis muci subtraxissem, deletæ multæ Petechiæ sunt; donec omnes exeunte mense Octobri desiissent.

Alter puer 5 annorum, potens comessator, & qui plurimum muci in infimô ven-

tre habere consueverat, similibus Petechiis universum corpus plenum habebat secundùm collum, juxtà aures, inque ipsis auriculis, omnique facie : isque neque febre laborabat; neque cibos nauseabat; sed prosperè valere videbatur, edensque saltansque ludensque.

Hujus alvum quatuordecim continuò dies pharmaco subduxi; quod, posteaquam plurimum mucum subtraxerat, multum ex Petechiarum colore delevit. Mansit interea & mentis hilaritas & vehemens edendi desiderium. Paulo post quoniam puer, ubi alvum adhuc impuram habuit, multum comederat; incidit in febrim intermittentem quartanam; quam deinde cortex peruvianus, ex purgatâ prius benè alvo, excussit; & puerum absque Petechiis integrum dimisit.

Præter hæc nosse refert, istas Petechias neque magis in ipsâ febre quàm quidem mediis

mediis inter acceſſiones diebus rubras fuiſſe; ſed tales, quales antè fuerant, permanſiſſe: evanuiſſe verò omnes, â quo alvus ex toto purgata fuit; neque deinde reverſas fuiſſe, etiam cùm febris aliquandiu poſt continuavit. Ex quibus patet; ob febris æſtum Petechias non eſſe.

Tertius puer 8 annos natus quampluri-mis item Petechiis refertus erat; at quæ magis quàm ſuorum fratrum pallidæ erant; cum iisdemque proſperè habuit: easque proximè, ut alvum pharmaco aliquoties purgavit, amiſit. Ideo verò hujus quidem pueri quàm ſuorum fratrum pallidiores Petechias fuiſſe judico; quoniam is muci minus, quam ſui fratres, habere conſueverat. Hos enim omnes ab ipſis incunabulis novi.

Quarta ſoror 12 annos nata, & aliqua cognata 17 annorum Petechias quidem habebant; at, quoniam earum corpora propter alium aliquem morbum pharmaco antè

ſæpiùs

ſæpiùs purgata fuerunt, ipſæ Petechiæ & magis pallidæ erant, nec adeo multæ; ſic ut ipſæ puellæ iſtas maculas joco habuerint.

Infantum etiam cuſtos mulier 50 annorum millenas Petechias purpureas in cute habebat: neque ullum adverſus easdem remedium accipere ideò voluit, quoniam benè habere ſe ſenſerat, iſtasque maculas à pulicum morſibus eſſe ignara putabat.

Nutrix quoque, quæ febre quartanâ aliquandiu antè laboraverat, ob quam & infrà ducente & vomitoriô medicamentô purgata erat, innumeras deinde in univerſâ corporis cute Petechias circumſcriptas purpureas accepit. Neque eas iterum amiſit, donec alvum adhibitô ſæpe pharmacô duxiſſet, plurimumque ex eâ mucum dejeciſſet.

Porro iſtæ quidem Petechiæ in ipſâ febris acceſſione tales, quales mediis inter acceſſiones diebus fuerant, perſtiterunt: neque ubi deſiêrunt, impoſterum revenerunt;

runt; etsi febris ipsa aliquoties reversa fuerit. Ex quo rursum patet; Petechias â febre ipsâ non fieri.

AEGROTUS XLIII.

Anno 1760 fine Februarii vir pauper 30 annos natus spontè vomuit, cibosque nauseavit, atque orto alvi profluvio multa impura per se dejecit; & arteriarum pulsum exilem habuit; & urinam crassam, albam turbidam cum multo sedimento mucoso, qualem jumenta reddunt, emisit: isque post vomitorium remedium multa impura ore rejecit, plurima verò putrida post assumtum rhabarbarum infrà præcipitavit: exque his meliùs habere visus est, quamvis & ejus pedes œdematosi & urina turbida mansissent.

Inde octiduo requies levamenque erat, postea verò, susceptô utique ab ægrotâ uxore contagiô, rursum infirmus evenit, & pulsum

pulſum debilem, & faciem pallidam accepit; interea etiam ſudore frigido viſcoſo immaduit. Eruperunt poſterô die juxta interna brachia & ſuprà pectus potiſſimum plurimæ Petechiæ, ſeminis viceæ latitudine, lividæque; aliquæ etiam his majores. Urina porrò alba, turbida, cum multo ſedimento mucoſo, veluti jumentorum urina, provenit.

Ob quæ ægri alvum rhabarbaro & Sale medio quotidie purgavi: quæ octiduo multa putrida mucoſa cùm ſubduxiſſent, ipſas Petechias indies magis pallidas effecerunt donec omninò evanuiſſent. Reſtitutus item arteriarum pulſus, & ſecutus ſomnus placidus eſt, reverſumque & edendi deſiderium & ſecunda valetudo eſt.

Neque etiam iſte quoque æger ab ipſo morbi principio ad exitum usque febre incaluit. Hujus item uxor Petechiis absque febre laborabat.

AEGRO-

AEGROTUS XLIV.

Anno 1760 vir pauper 50 annos natus, qui olim ſanguinem ſputo rejicere conſueverat, & â pueritiâ morbo caduco laborabat, cibos aliquandiu nauſeavit; ſubindeque inhorruit; & ventriculo malè habuit. Nihilominus cum his conſuetum ſuum laborem abſolvit.

Die 10 Maii corpore imbecillus evenit, ventriculum prætumidum habuit, febre verò non incaluit. Suprà ventrem, ventriculumque, item ſuprà ſcapulas juxtàque carpum plurimas ſublividas magnas Petechias accepit, quarum aliquæ ût lentes latæ erant, tanquam harum tres in unam conveniſſent.

Proximo die, poſt aſſumta reſinæ jalappæ grana ſeptem & diagrydii ſulphurati grana ſex ex ſyrupi florum perſicorum unciâ duodecies multa mucoſa alvo emiſit. Inde Petechiæ pallidiores evenerunt: ægerque

que cibos maximè desiderans suum laborem continuò perfecit.

Postquam verò æger alvum pharmaco purgare continuâsset, plurimum ex Petechiarum colore minutum est, donec eæ circà diem 15 omninò evanuerint; ipseque æger convaluit, omnis febris ab ipso etiam morbi initio hucusque expers.

AEGROTUS XLV.

Anno 1762 mense Junio serva annos 24 nata malè habuit. Erat ejus facies lurida, & oculi cavi, & gravior spiritus, & totum corpus torpuit: universam ejus corporis cutem multa millia millium Petechiarum occupabant, imò & ipsas oculorum palpebras. Neque tamen cum his ægra febre incaluit, sed pulsum exilem habuit; suumque servilem laborem, etsi aliquantò minus alacriter, tamen quotidie omnem absolvit. Urinam item jumentorum similem cum multo sedimento crasso emisit.

Huic

Huic myrrham, aloënque, & radicis jalappæ rhabarbarique pulverem adjecto sale quotidie indidi; per quæ excitato alvi profluvio plurima putrida, craſſique muci glomeres multique lumbrici excuſſi ſunt.

Cùmque adhibito continenter iſto auxilio ægra octiduo vehementer & ex toto purgata fuiſſet, integrè convaluit.

Atque etiam per iſta certè experimenta patet, febrim à Petechiarum miaſmate per ſe non excitari: quæ utique exardeſceret; ſi, quod quidam volunt, ipſum Petechiarum miaſma intrà ipſum ſanguinem conſiſteret.

Porro à nobis ſuprà dictum fuit, quemadmodum hæc ipſa febris, isque morbus nonnunquam etiam ſine Petechiis eſt, & quòd huic eadem auxilia, quæ morbum cum Petechiis ſubmovent, medentur. Id potiſſimum anno 1760 & anno 1761 patuit; ſcilicet quâ tempeſtate ipſæ Petechiæ maximè

populares erant. Cujus aliqua exempla nunc ſubjiciam.

AEGROTUS XLVI.

Anno 1761 à 22 die Maii vir annos 40 natus ægrotabat veluti Petechias habiturus. Erat ei calor ingens, & circum præcordia dolor tumorque, & tuſſis difficilis, & facies lurida, & cutis color ſubflavus, & oculi retracti; & fauces ſordidæ; & magna ſitis, & ciborum nauſea, vigiliæque; & ubi æger oculos claudebat veluti ſomnum capturus, protinus â rectâ ratione aberat. Præter hæc magna corporis laſſitudo, & acutus dolor in ſincipite preſſit.

Igitur venæ ſectionem præcepi julapiumque cum Salis Seignette drachmâ & oxymellis ſquillitici unciâ: potui verò dedi decoctum refrigerans cum oxymelle ſquillitico item & Sale Seignette quod liberaliter bibat. Inſuper manè atque veſperi enema imperavi, quod alvum duceret.

Secu-

Secutæ ſunt ſedes alvi putridæ mucoſæ multæ, poſt quas febris in calore remiſit, & bona iterum facies evenit, ſputa facilè cum tuſſi ſeceſſerunt, & ſomnus acceſſit, & dolor caput & laſſitudo membra dimiſit, factaque libera iterum præcordia ſunt, ſine tumore & ſine anxietate.

Finita febre ſudor (quemadmodum in ipſo Petechiarum morbo conſueſcit) ex univerſo corpore erupit; idemque quatuor imposterum diebus continuavit; rediit quoque edendi deſiderium & ſomnus.

Adhibito iterum iterumque impoſterum purgante pharmaco cùm multa putrida mucoſa deſcendiſſent, ſecuta ex toto integritas eſt.

Aegrotus XLVII.

Paulo poſt, â 1 ſcilicet Julii eodem morbò absque Petechiis laborabat vir annos 38 natus, cum facie luridâ, & præcordiorum anxietate atque continuâ febre.

Ob quam caufam venæ fectionem, & medicamenta refrigerantia imperavi, & ut etiam ultrà fatietatem biberet: injecta item quotidie duo enemata funt.


Hæc ut multa putrida fubtraxerunt, febris effe defiit, & urina jumentorum fimilis evenit; & ex univerfo corpore fudor acidus erupit; idemque tres dies continuavit.

Inter hæc ægri alvum pharmaco iterumque tribus quibusque diebus fubduxi; ex quâ pofteaquam extracta omnia impura funt, fudor effe defiit, & æger ex toto convaluit.

Atque fub hâc quidem facie magis quàm cum Petechiis ifte morbus poftremis ejus curriculi annis circumivit. De quo non longo fermone hìc opus eft: eo quod ex his, quæ hucusque dicta funt, fatis fuperque patet, febrim, quæ cum Petechiis eft, per

fe

ſe talem exiſtere, neque ab ipſo Petechiarum miaſmate, quaſi illud in ſanguinem intrâſſet, excitari.



CAPUT VI.

EX QUA CORPORIS PARTE FEBRIS ORDIATUR?

Quodſi impura, quæ in infimô ventre eſt, colluvies ſive per ſe incaleſcit, ſive ubi ea cum Petechiarum miaſmate convenit; ea utique vicinas partes circum accendit: exque his excitatur febris, quæ continenter exardeſcit, nec in remiſſione deſiſtit.

Reſidere autem impuram iſtam colluviem maximè in inteſtinis, minimè verò in ipſo ventriculo, per hæc potiſſimum experimenta patet. Quoniam vomitoria remedia minus quàm quidem purgantia juvant.

Quoniam, quæ poſt emetica auxilia rejiciuntur, pauca, mucoſa, & parum corrupta ſunt: maximè vero putrida quæ infrà ducuntur. Quoniam, qui ab iſto morbo naturæ beneficio eveniunt, omnes per alvi profluvium, non ex vomitu, convaleſcunt. Quoniam eorum aut omnis aut plurima urina turbida, quemadmodum jumentorum urina, evenit. Ferè enim perpetuum eſt, qui urinam jumentorum urinæ ſimilem reddunt, eos multa in inteſtinis putrida habere. Quoniam denique, qui propter iſtum morbum pereunt; omnes inteſtinorum ſphacelo delentur: niſi alia quæpiam corporis pars antiquo vitio affecta antè fuerit, quam vehemens febris, ubi ea acceſſit, præprimis corrumpit: nam poteſt pulmo, poteſt pleura, poteſt jecur, poteſt aliud quoddam viſcus, ſi vitiatum id antè fuerit, ſphacelo citius corrumpi: poteſt etiam cerebrum; maximè diffuſæ ubi Petechiæ ſunt. Refert enim, quæ corporis pars, & quo vitio eadem

dem antè affecta fuerit. Minimèque in morbis inter ſe differentibus, ſi conveniant, perpetuus eſſe ſphaceli locus poteſt.

Reſidere verò impuras iſtas res in his potiſſimum locis, quæ infrà ſeptum transverſum proximèque ſub ventriculo ſunt: quoniam ægri ex his dolent, ibidemque tument, laborioſè ſpirant atque anguntur; & ſiquid aſſumſerunt, poſt id veluti turgent: & quoniam ægrorum multi ictero, alii plus alii minus, laborant.

Poſſe quoque impuram iſtam colluviem nonnunquam etiam paullô magis infrà, ceu ſub coſtis ſpuriis ceu in ileô inteſtinô ſuprà pubem, convenire, cùm ſuprà (c) dixi, tum nunc ſubjiciam.

(c) Cap. II.

AEGROTUS XLVIII.

Anno 1761 die 5 Januarii puella annos 18 nata cùm aliquandiu febre laboràſſet, ideoque ſanguinem è venâ miſiſſet, aſſumto medicamento emetico non multum neque bilis neque muci rejecit.

Interea ſuccrevit febris, ſextoque die plurimæ ex univerſâ cute Petechiæ erupe-runt. Præter hæc abdomen, maximèque infrà umbilicum, intumuit; inque eo, quâ parte inteſtinum ileon eſt, duri glomeres nodique, gallinæ ovorum magnitudine extabant; faciles manibus diſtinctu. Urina item turbida & ex viridi nigreſcens prodiit, cum multo ſedimento craſſo atque mucoſo.

Poſtea verò quàm ægra iſtum morbum aliquandiu absque medicinâ tulit; ortum naturæ beneficio largum alvi profluvium eſt; quod ſimul, ac multa putrida, atque totos muci glomeres excuſſerat, tumorem ven-

ventris dissipavit, & abdomen molle restituit; febrimque, & cum eâ Petechias, delevit.

AEGROTUS XLIX.

Anno 1761 initio Februarii juvenis 18 annos natus aliquandiu ante quàm eum accepissem, ægrotabat. Erat ejus facies lurida pallidaque, & oculi retracti, & arteriarum pulsus frequens; & febris summa. Prominuit etiam in intestino ileo suprà os pubis secundùm vesicam magnus tumor durus rotundus, ex quo æger acutè doluit, & urinam præceptam habuit; & lotii parum, idque difficulter, emisit; & siquidem emisit, doluit: & erat omnis urina, cùm exiisset, crassa, alba, turbida, veluti jumentorum urina. Porro erant juxtà interna brachia Petechiæ.

Quare ægro protinus enema ex sero lactis cum nitro & melle indi jussi; coctos-

que cum Sale Seignette tamarindos exhibui; adjectâ mannæ portione. His alvus laxata eſt; exque eâ plurima putrida & multi muci globi deſcenderunt; poſt quæ venter iterum mollis evenit, & febris eſſe deſiit, evanuerunt etiam Petechiæ, & cum facilitate urina tenuis & ſanæ ſimilis effluxit, ſicque ſecuta integritas & ciborum deſiderium eſt.

Atque hæc præcipua & maximè communis iſtius morbi cauſa eſt: impura ſcilicet & mucoſa illa, quæ in inteſtinis antè reſedit, colluvies; ex quâ, ſiquidem cum ſuſcepto contagio accenditur, febris exardeſcit.

Veriſimile quoque eſt, poſſe nonnunquam etiam ex cæteris infimi ventris viſceribus, quæ ſuos in inteſtina exitus habent, per quos ſuum quæque confectum humorem educunt, febrim ſimili ratione exordiri, aut, quæ eſt, diu trahere; quandoquidem


quidem tenax aliquis mucus in eis hæret. Fortaſſis etiam idem mucus deinde, ubi orſa ante in inteſtinis febris eſt, accenditur. Neque alienum eſt, aliquantum ex ſerô intrà ipſam ſanguinis maſſam, quemadmodum ferè in pleuriticorum morbo, febre, poſteaquam ea aliquandiu exarſit, accendi atque coagulari. Quod item morbum & pertinacem efficit & admodum longum.

Id potiſſimum ex his conjecturare licet: quoniam nonnunquam febris, etſi alvus pharmaco aliquoties ſubducta fuerit, nihilominus continuat: quoniam poſteaquam alvus aliquandiu fluxit, nihilque muci dejectum eſt, deinde iterum tenax mucus ex eâ deſcendit, iterumque poſt aliquot dies novus emittitur; ſicque aliquibus impoſterum ſeptimanis per vices continuat: quoniam horum aliqui ſanguinem ùt pleuritici habuerunt, & inclinatâ febre ſputa

ſimi-

ſimiliter ejecerunt: quoniam aliqui ex his etiam poſt ſuperatum morbum, quarto, aut quinto, aut (proùt nempè magis ad ſanitatem proceſſum eſt) octavô quovis die mucoſa vel per ſe vel adhibito aliquo purgante pharmaco in alterum usque menſem dejiciunt: nempè propterea quòd reſtituta iterum fibrarum integritate iſte mucus ex viſcerum interioribus excutitur, atque in inteſtinorum cavitatem, tanquam in commune aliquod receptaculum demittitur. Quam deinde impuram congeriem ciborum nauſea atque ventris inflatio ſequitur ſignificatque.

Sic obeſi homines, & pituitoſi, & otioſi, & comeſſatores, & qui ventrem non ſatis expurgârunt, habere conſueſcunt iſto morbo ubi tentantur.



CAPUT

CAPUT VII.

EXPLICATIO SYMPTOMATUM.

Rectius facturum me esse puto; si explicationem symptomatum, secùs ac aliorum scriptorum mos est, ipsi curandi rationi postponam; scilicet quominus ista quidem dissertatio post prolata experimenta controversiam admittat.

Et primò quidem ægri ab ipso morbi exordio, & antequam febris exardescit, imbecilli sunt; faciem luridam, & pulsum exilem habent, atque universum cibum nauseant; utique quoniam impura colluvies, quæ hucusque in imô ventre & circum præcordia coïverat, nunc sive per se sive mista cum miasmate petechiali ibidem computrescit.

Atque ſic alii magis alii minus infirmi ſunt ; alii longiore alii breviore tempore ægreſcunt ; prout impuri aut plus aut minus in eorum ventre convenit ; idemque per contagium ſive ociùs ſive ſeriùs corruptum eſt.

Poſt hæc ſuccreſcit febris ; quæ magis atque magis exardeſcit ; quoniam corrupta materia ipſa viſcera jam accendit.

Quodſi verò iſta in imô ventre colluvies cum miaſmate Petechiali, quod recepit, non computreſcat ; ſed talis, qualis ante fuerat, perſiſtat ; etiam ex eâ neque iſta infirmitas neque febris oritur : ſed ægri illæſi etiam cum ipſis in cute Petechiis manent : quemadmodum ſuprà memoravimus.

Quorum autem accenſa per petechiale miaſma colluvies adhibito protinus auxilio vel ſuprà vel infrà omnis excutitur ; eorum etiam febris quam proximè deſinit. Contrà verò, ſi iſta colluvies, quæ cum miaſ-

mate Petechiali coïvit, exuperat; utique febris, quæ inde eſt, diu continuat. Quod utrumque ſuprà à me dictum eſt.

At ubi præter vitiatam iſtam in inteſtinis colluviem multus tenax mucus in cæteris infimi ventris viſceribus hæret; is etiam febre accenditur; exque eo morbus protrahitur; neque febris neque ipſæ Petechiæ priùs deſiſtunt, quàm iſte mucus in inteſtina inclinaverit ſe, atque ex alvo omnis deſcenderit. Quæ vulgaris cauſa eſt, ob quam iſte morbus nonnunquam in longum trahit.

Porrò cùm febris ad ſummum pervenit, ægri oculos rubros habent, delirant, & manibus tremunt: quaſi juxtà eorum cerebrum inflammatio eſſet.

Cum his & ſurdi & ſoporoſi eſſe incipiunt, & indies magis ſurdeſcunt & profundiùs dormiunt. Quod bono quidem indicio eſt; quoniam id ſecundam valetudinem

nem reverſuram eſſe certè ſignificat. Contrà, qui cum ipſâ febre neque oculos rubros accipiunt, neque ſurdi neque ſoporoſi fiunt, hi ferè omnes pereunt: eveniunt nihilominus abſque his ii tantum, qui Petechias ſine febre habent.

Atque illorum ægrorum alii profundiùs diutiùsque dormiunt: alii minus; iidemque facilè expergiſcunt. Alii graviter audiunt; alii omninò ſurdi ſunt, ſic, ut nihil niſi magnos clamores percipiant. Alii rurſum aliquandiu ſurdi ſunt; alii item diutius, 40 ſcilicet diebus, ſurdi erant. Porrò, qui multa impura in imô ventre habent, hi & diutiùs ægrotant, & graviùs audiunt, quàm qui pauca. Et quibus multa impura relinquuntur; hi, etiam ſuperatâ febre, diutiùs ſurdi manent. Audiunt verò rurſum omnes, & ùt ſani dormiunt, neque poſtea ſoporoſi ſunt; quam primum pharmaco perfectè purgati ſunt.

Sed

Sed cur ſunt oculorum rubor, & ſopor, & ſurditas ſecunda ſigna in iſto morbo; cùm adverſa eadem ſint in alio?

Nonnunquam ad hunc morbum, cùm invaluit, icterus accedit; ſine ullâ hepatis ſenſibili duritie; etiam poſteaquam ægri alvus aliquoties pharmaco jamjam purgata fuit.

Hoc vitium per ſe tale eſt; non à Petechiis. Utique quoniam orificium ductûs choledochi impuro glutine obductum obturatumque eſt. Ex quo, quoniam bilis in inteſtinum duodenum facilè deſcendere nequit, congeſtâ intùs in hepate refluâque bile, quæ in ipſum ſanguinem revertitur, externa cutis aurigine induitur. Perinde ac neonatorum infantum cutis flavo colore tingi conſueſcit, eo quòd eorum ductus choledochus muco, quem recens nati in ventriculo & in inteſtino duodeno habere conſueſcunt, occluſus eſt.

Obſervando enim didici; iſtum quidem icterum non niſi his contigiſſe; in quorum ventre permulta glutinoſa extabant.

Hoc vitium privatam medicinam non deſiderat; ſed iisdem auxiliis facilè ſuperatur, per quæ ipſi Petechiarum morbo ſuccurri poſſe ſuprà poſui: ſcilicet per ea, quæ ventrem benè purgant. Siquidem, ſi aut plurima aut omnia impura ſubtracta ſint, etiam reſerato oſtio & defluâ in inteſtinum bile omnis aurigo cutem iterum dimittit.

De ſudoribus etiam diſputatio eſt. Multi enim inter antiquos olim medicos putârunt; Petechiarum morbum medicamentis ſudorificis excutiendum eſſe. Id recentiores jure ùt exitioſum repudiârunt quidem; at ſudoris tamen rationem habendam eſſe volunt: alium enim protinus & in ipſo morbi principio adeſſe: alium cum ipſâ febre accedere: alium denique finitâ febre erumpere. Atque horum alterum, ſiquidem eô

uni-

universa cutis æqualiter immadescit, isque odorem acidum spirat, ùt criticum intuentur; eundemque adhibitis sudorificis medicamentis & impositis vestimentis multis continuandum esse statuunt. Alterum verò tanquam colliquativum maximè metuunt; tumque cardiacis auxiliis, quibus imbecillum corpus firmari possit, subveniendum esse præcipiunt.

Verùm ista omnia ità se non habere sæpè observando attigi. Esse quidem tria in isto morbo sudorum genera; neutrum verò horum neque ùt criticum neque ùt colliquativum haberi posse: quod nunc ponam.

Vel enim in ipso morbi principio ægrorum cutis sudore sæpè immadescit; eo scilicet tempore, quo infirmitas incipit & pulsus parvus, & facies lurida, & vomendi desiderium est: sive ægri erecti adhuc sint, sive iidem decumbant.

Eſt iſte ſudor â fibrarum imbecillitate univerſique corporis infirmitate, & ex eo quod multa in imô ventre impura reſident. Eâ ferè ratione, quâ ii inſudare ſolent, quibus poſt aſſumtum aliquod medicamentum emeticum vomendi deſiderium eſt: aut veluti hi, qui etiam absque Petechiarum morbo nauſeant & vomituriunt, propterea quod putridam aliquam materiem in ventriculo habent. Contrà verò quorum febris protinùs erumpit, hi ſic non ſudant.

Juvant vomitoria, quæ iſtam materiam ejiciunt: maximè verò purgantia, quæ vitiatam colluviem, quoniam ea in inteſtinis potiſſimum reſidet, ſubtrahunt. Nocent verò ſudorifica remedia: ſiquidem per ea neque mali cauſa ſubmovetur; neque ipſe ſudor juvat. Neque tutum ſed exitioſum eſt, quod quidam volunt, iſtum ſudorem ab ipſo morbi principio adhibitis calefacientibus auxiliis promovere perficereque.

Vel

Vel inclinatâ febre ſudor erumpit: isque facilis eſt, atque liberaliter ex univerſo corpore profluit; idemque acidum odorem habet, & multum fœtet, & diu continuat. Hunc aliqui hodie medici tanquam criticum intuentur; eundemque decoctâ radice ſerpentariâ virginianâ; atque aliis quibuspiam calidis rebus continuandum eſſe poſtulant.

Verum etiam hos â rectô abeſſe exiſtimo. Siquidem, quoniam iſte ſudor neque febrim excutit, neque morbum ſubmovet, necquicquam criticus eſt. Is enim non priùs erumpit, quàm cùm febris ipſa adhibitis ſive purgantibus ſive antiputredinoſis auxiliis aliquantò magis antè imminuta, plurimumque ex morbo ſubmotum eſt: id eſt, poſteaquam fracto febris æſtu univerſa corporis cutis, quæ ardens aridaque ante fuerat, iterum laxa mollisque evenit. Ferè quemadmodum in omni febre ardente, aut

ubi magna aliqua inflammatio eſt; deinde poſt largam venæ ſectionem cutis iterum mollis fit & tota immadeſcit: quem utique ſudorem medicorum nullus criticum appellabit.

Siquidem ubi morbus ipſe, propterea quod adhibitum aut nullum aut imbecillum aliquod remedium fuit, protrahitur; etiam iſte deinde ſudor feriùs, ſi æger eveniat, prorumpit. Contrà verò, ſi morbus protinùs ſubmovetur, idem ſudor citiùs, ſi contingat, erumpit. Atque iſti, quibus ſuccurritur, ægri minus quàm quibus non ſuccurritur, ſudant: minimè verò hi, quorum Petechiæ absque febre ſunt. Erumpit autem iſte ſudor tum, cùm febris adhibito ſive cortice peruviano ſive purgante pharmaco ſubdita quidem, at nondum ex toto ſubmota eſt: isque deinde absque levamine fluere continuat; quamdiu impuræ aliquæ reliquiæ adhuc in ventre ſuperſunt.

At

At ubi iſtæ reliquiæ adhibito purgante pharmaco protinus ſubtrahuntur; morbus ipſe absque iſto ſudore proximè deſiſtit. Sin minus: verſus quintum aut octavum diem (ſeriùs aut ociùs prout materiei ſive plus ſive minus intus remanſit) febris rurſum exſurgit, inque eâ æger delirat, &, quemadmodum ante, iterum ægrotat: neque febris priùs eſſe deſinit, quàm adhibito item purgante pharmaco ſubtracta omnia impura fuerint. Ex quibus patet, necquicquam criticum ſed ſymptomaticum eſſe iſtum ſudorem.

Similiter, qui multa impura in imô ventre habent, hi multum ſudant. Et quibus ea diu relinquuntur, hi etiam diu ſudant, & diu perimbecilli manent, & aquam inter faciei pedumque cutem accipiunt.

Atque iſtum quidem ſudorem, ſi aliquandiu continuat, recentiores aliqui medici pro colliquativo habent: quoniam is

ægrum perimbecillum relinquit. Tumque ſtudent; ut cordialibus auxiliis ægrorum vires ſuſtineant. Verum id vanum eſt: juvant enim quæ ventrem purgant.

At ſi poſtremò ſudor frigidus, paulò ante mortem, ſcilicet ubi gangræna ſphacelusve jam occupârunt, in ſummâ cute hæret, exitioſum omninò eſt: neque, niſi cortex peruvianus juvet, quicquam præſidio eſt.

Quodſi verò deinde æger poſt adhibitum mirabile iſtud auxilium fortaſſis evenerit, tutusque ſit; ſudor rurſum acidus erumpit, novaque denuò febris, veluti ante fuerat, ſuccreſcit: eademque item ſubmovenda eſt per eas rationes, per quas huic ſuccurri poſſe, ſuprà poſui.

Tuſſis etiam ægros multum excruciat; quæ cum ipſo morbo incipit, & ſæpè etiam poſt eum ſupereſt.

Ab

Ab ipſo enim morbi principio, & quamdiu febris ardet, iſta tuſſis arida eſt, ægrumque crebris & tanquam abruptis conatibus vexat: utique quoniam univerſum corpus aridum propter fervorem eſt. Deinde verò, cùm febris finem habet, tuſſis humida evenit; ſequitur tenax ſputum, atque mucus â linguâ exque faucibus ſecedit. Scilicet, quoniam factum corpus nunc iterum molle eſt, laxatæque rurſum fibræ ſunt: ſimili ferè de cauſâ, propter quam ſudor inclinatâ febre erumpit.

Atque iſta quidem tuſſis nunquam non eſt. Multi etiam finitâ febre diu maximèque tuſſiunt & plurimum muci rejiciunt, ferè veluti peripneumonici pleuriticive.

Eſt iſta tuſſis à muco, qui ex imô ventre in ipſum ſanguinem aſcendit: perinde ac infantes etiam ſine febre tuſſiunt; in quorum ventre ſive nimius mucus coïvit ſive vermes reſident.

Id his potiſſimum experimentis conſtat. Quòd, in quorum ventre pauca materia convenit, hi parum tuſſiant; & ſuperato morbo absque tuſſi ſint. Quòd, in quorum imô ventre multæ reliquiæ, etiam finitô morbô, ſuperſunt, hi diu tuſſiant plurimaque exſcreent. Quòd ipſa tuſſis, etſi plurima ea ſit, protinus eſſe deſinat, quamprimum ægrorum alvus pharmaco ſubmota fuerit, ex eâdemque impura, quæ ibidem reſidebant, ſubtracta ſint. Fortaſſis etiam aliqui ideò magis tuſſiunt & ſputi plus ejiciunt; quoniam, quod ſuprà memoravimus, aliqua ſeri portio, cum febris invaluit, calore coacta atque denſata eſt; deindeque, ubi calor remiſit & reſtituta fibrarum integritas eſt, ſputo expellitur. At ſolet tamen iſta materia liberaliùs in inteſtina inclinare ſe, & poteſt commodiùs adhibito laxante auxilio infrâ duci.

Deinde

Deinde etiam articulorum dolor, ſiquidem Petechiarum morbo ſupervenit, privatam conſiderationem deſiderat. Hic maximè in pedibus, potiſſimum circum malleolos, & in talo, ſæpè ad manus, nonnunquam etiam in cubito humeroque ſimul, veluti rheumaticus eſt; idemque ægros, cùm mens rediit, vehementer excruciat. Et ſiquis horum membra manu tractat; dolor in iisdem intenditur, obque eum ægri multum clamant. Etiam hi, quibus nullus olim dolor in articulis fuerat.

Ità autem potiſſimum hi dolent; quorum morbus difficilis longusque eſt: ſive quòd in eorum ventre multa impura ſunt, ſive quòd eadem ibidem relinquuntur. Nonnunquam iſte dolor diu ſubſiſtit; nonnunquam is citiùs deſinit; nonnunquam levis idem eſt; nonnunquam etiam peracutus, finitâque febre miteſcit non deſiſtit. Et quibus multa intùs materia ſupererat, eos dolor,

dolor, donec puri fuiſſent, etiam 40 diebus preſſit. Qui verò citiùs convaleſcunt, & quorum morbus adhibito auxilio protinus omnis ſubmovetur; hi absque dolore eveniunt. Adde; etiam eos, quorum morbus revertitur, iterum dolere; ſi talis dolor in morbo ante fuerat.

Huic vitio medentur, quæ alvum purgant. Ex quibus judico; eſſe iſtos articulorum dolores ab impuris rebus, quæ in imô ventre reſident: veluti ſuprà poſui & nunc ſubjiciam.

Aegrotus L.

Anno 1760 die 22 Aprilis puella 6 annos nata ægrotabat; plurimasque protinus Petechias in univerſâ cute habuit.

Aſſumtis die 3 reſinæ jalappæ granis tribus totidemque diagrydii ex ſyrupi florum perſicorum unciâ, multa mucoſa putrida dejecit in diem 5 usque. Indeque

ſumto

ſumto iterum eodem pharmaco plurima rurſum putrida depoſuit usque in diem 7. Erat interea ægræ cutis plena Petechiis, venter tumuit, febris exarſit, & in articulis acutus dolor erat, hos ſiquis manu tractabat.

Die 7 ægra item purgata multum muci alvo reddidit: & ex articulis doluit. A die 10 poſt idem purgans pharmacum multa putrida cum iisdemque vermiculi deſcenderunt ad 13 usque diem. Nihilominus & febris & Petechiæ cum iisdemque articulorum dolor continuârunt.

Poſteaquam verò à die 14 in 16 usque eodem rurſum pharmaco omnia, quæ ſupererant, putrida ſubtracta ſunt, articulorum etiam dolor & febris eſſe deſierunt; & ægra Petechiarum expers convaluit.

AEGRO-

AEGROTUS LI.

Anno 1760 puer annos 14 natus die 27 Aprilis à prandio friguit; finitoque frigore ortus calor eſt, qui altero die plurimum exarſit, cum eodemque multa millium-millia Petechiarum in univerſam cutem prodierunt.

Die 4 cùm æger reſinæ jalappæ & diagrydii grana quinque ex ſyrupi florum perſicorum unciâ aſſumſiſſet, alvum vigeſies depoſuit; plurimaque putrida cum iisdemque lumbricos, unum ore & tres alvo, dejecit.

Die 6 orta narium hæmorrhagia eſt; & plurimæ ſimul Petechiæ provenerunt.

A die 7 in 13 usque poſt idem purgans pharmacum excitata diarrhæa eſt; quæ plurima putrida excuſſit. Interea autem temporis & calor magnus erat, deliriumque; & plurimæ in cute Petechiæ; & æger mor-

bum

bum caducum, quo olim affectus erat, bis passus est; & ex brachio paralyticus evenit; doluit ventre; inque articulis, siquis eos flexurus erat, acuto dolore excruciatus est.

Cùm autem alvus post idem rursus pharmacum in diem 19 usque laxa extitisset; & plurima putrida, interque ea plurimus mucus, veluti gelatina, descendissent, æger 20 die & febris & Petechiarum & omnis doloris expers convaluit.

Ex quibus rursum patet; esse istos articulorum dolores â putridis rebus, quæ in infimô ventre resederunt; præsidiumque â purgantibus auxiliis petendum esse.

Neque esse istos dolores ab ipso Petechiarum miasmate, quoniam alii etiam homines sine febre & absque Petechiarum morbo sæpè acutos in diversis corporis articulis dolores habent, eoquòd putrida aliqua colluvies in eorum infimo ventre hæret;

ret; veluti aliquas hiſtorias nunc ponam, quas ſatis eſſe puto.

Aegrotus LII.

Anno 1761 â die 4 Novembris vir annos 50 natus protinus in ipſo humeri ſiniſtri articulo acutè doluit: ſic, ut neque dormire neque quicquam edere, neque brachium, neque ipſos etiam digitos movere præ tormento potuerit; præter hæc æger brachium, ut dolorem temperaret, thoraci alligavit.

Quæcunque autem eousque adhibuerat, necquicquam profecerunt.

At verò cùm poſt indita enemata is multa putrida dejeciſſet, exque his urina ùt jumentorum turbida eveniſſet, aliquantumque ex dolore ſic minutum fuiſſet; protinus purgans pharmacum præſtiti: â quo poſteaquam excuſſa plurima putrida multus-

que

que mucus ſunt, æger omnis ſubitò doloris expers evaſit.

Aegrotus LIII.

Eodem ferè tempore vir 30 annos natus peracuto item dolore in ipſo humeri articulo laborabat: & ſupernum corpus plurimum in affectum latus inclinavit, nempè ut per iſtum corporis ſitum aliquantum ex tormento leniret.

Quæcunque verò æger aſſumſerat, aut externè applicuerat, necquicquam profecerunt. At cùm vidiſſem urinam jumentorum ſimilem evenire, iſtum utique humeri dolorem excitatum ab impuris in imô ventre rebus eſſe ratus rejecto omni remediorum apparatu ægri alvum pharmaco ſæpè purgavi. A quo auxilio cùm plurimus mucus ſubmotus fuiſſet, omnis etiam dolor eſſe deſiit; neque idem reverſus eſt.

Eodem vitio laborabat vir 50 annorum; & urinam jumentorum ſimilem reddidit. Cûmque is adhibito ſæpè purgante pharmaco multa putrida dejeciſſet, protinùs convaluit, omnis cruciatûs expers.

Aegrotus LIV.

Paulo poſt fœmina annos 38 nata pertinaci dolore iſchiatico aliquandiu excruciabatur; quem moderare neque poterant cucurbitulæ cum ſcarrificationibus, neque decoctum lignorum, neque medicamenta antimonialia.

Cùm verò omnis, quam ægra reddiderat, urina jumentorum ſimilis eveniſſet; purgantia remedia accepit: â quibus cùm multa putrida ſubmota ſunt, omnis protinus dolor eſſe deſiit.

Aegrotus LV.

Proximè ab his acuto humeri dextri dolore laborabat vir 45 annos natus, veluti

iſtud

iſtud quidem os loco pulſum eſſet. Poſteaquam verò ejus alvus pharmaco vehementer mota eſt, æger brachium liberaliùs movere potuit. Atque cùm poſt triduum adhibito rurſum purgante pharmaco multa impura ſubtracta fuiſſent, omnis etiam dolor humerum dimiſit.

Aegrotus LVI.

Simul etiam vir annos 50 natus acuto humeri dolore excruciabatur. At dolor, ut alvus pharmaco ſubmota fuit, humerum dereliquit, & in femur deſcendit: idemque eſſe deſiit, poſteaquam æger pharmaco proximè purgatus fuit.

Adde; ſæpè etiam infantes, in quorum imô ventre ſive vermes ſive alia quæpiam impura colluvies eſt, articulis eâdem ratione torqueri.

Atque iſte quidem dolor num ideo in articulis ſit, quoniam impura colluvies in

ipſo ventre reſidet, manetque; num verò (quod proximum vero videtur) propterea quòd aliquantum ex eâ in ipſum ſanguinem continuò intravit, deindeque cum ſanguine in articulos deſcendit, non ſatis ſcio.

Deinde etiam quæritur: Hæmorrhagia narium, ubi Petechiarum morbo ſupervenit, quid ſignificet?

Si parum ſanguinis è naribus ſtillat, idemque ſanorum ſanguini ſimilis aut paulò ſpiſſior eſt illo; atque circumſcriptæ ſi Petechiæ ſunt; ſingulare nihil ſignificat: ſiquidem ex eo morbus ipſe neque pejor neque mitior fit; ſed talis, qualis antè fuerat, perſiſtit. Ideo autem ſanguis erumpere videtur; quoniam is febre nimium agitatus extrema vaſcula aut rupit aut dilatavit. Perinde, ac propter eandem febrim mulierum uterus ſanguinem nonnunquam ociùs ſtillavit, quàm quidem is ſtatuto tempore à ſanis mulieribus fluere conſueverat.

At

At cum diffusis Petechiis sanguinem è naribus fluere exitiosum est: quoniam mors in propinquo est.

Pertenuis, ferè veluti aqua, iste sanguis est; neque facilè, ubi frigesit, coït: isque aut cùm Petechiæ extant, aut paulo postea quam eædem evanuerunt, vehementer erumpit, & præcipiti rivo plurimus, sex octove librarum pondere, effluit: etsi ægri vena in ipso etiam morbi principio secta jam fuerit.

Et, siquidem sanguis fluere desistit, febris (quod maximè mirum videri potest) protinus exardescit, sequitur post 12 horas delirium, intrà quod æger tertio deinde die gangræna extinguitur.

Est ista sanguinis profusio cum diffusis tantum Petechiis, nunquamque eandem vidi, circumscriptæ ubi Petechiæ erant. Et qui tali ratione sanguinem dederunt, hi omnes omnes perierunt.

Quâ verò de caufâ ità contingat, fcientiâ non comprehendo fed conjecturâ profequor. Ideo verò judico fanguinem vehementer & plurimum erumpere, quoniam diffolutus & febre nimium agitatus is eft. Diffolutum verò eundem effe, quoniam plurima putrida ex imô ventre in fanguinem intraverunt: in horum verò fanguinem putridarum rerum plus quàm quidem in aliorum intrâffe, quoniam in horum ventre plura, quàm in aliorum, impura aut collecta funt aut eadem diutius in eodem ante refederunt: plura autem impura eademve diutiùs in horum ventre refediffe, inde noffe licet; quoniam horum omnis urina jumentorum urinæ fimilis, & fæpe viridis, fubnigrave, & magis fpiffa magisque mucofa eft, atque citius turbida evenit, quàm quibus circumfcriptæ Petechiæ funt. Ferè enim perpetuum eft, quorum urina jumentorum fimilis eft, in horum imô ventre impura refidere: & quò craffior ifta urina eft, quo-

quoque citiùs eadem turbida evenit, eò etiam impuræ colluviei plus in eô ventre eſſe.

Ipſas verò Petechias in iſtorum cute ideo diffuſas eſſe; quoniam horum ſanguis diſſolutus eſt: circumſcriptas verò easdem in aliorum cute eſſe, quorum nempè ſanguis magis denſus & ſanorum ferè ſimilis eſt.

Neque verò ab ipſo Petechiali miaſmate ſanguinem ſive adeò diſſolvi ſive per nares ità effundi, ſed ab impuris rebus, quæ in imô ventre reſedêre, eousque vitiari: quod item ex his colligere licet; quoniam diverſam atque ſæpè profuſam ſanguinis jacturam etiam ſine febre & absque Petechiarum morbo patiuntur hi, in quorum infimô ventre multa impura coïverunt.

Vulgare enim infantum, qui multa impura vermesve ventre habent, vitium eſt, ſanguinem naribus effundere. Et non raro

 adul-

adultos vidi, quamplurimum ſanguinis modò naribus, modò tuſſi, modò utero, modò alvo reddidiſſe, abſque aliâ quapiam manifeſtâ ratione, quàm quod in horum infimô ventre impura colluvies erat. Neque his vel venæ ſectiones, vel medicamenta narcotica, refrigerantiave, vel tenuem diætam, vel quæcunque alia auxilia profuiſſe. Juvâſſe verò protinùs purgantia pharmaca, quæ vitiatam colluviem ſubtraxerunt. Neque deinde ægros, poſteaquam ità evenerunt, relapſos fuiſſe, ſed tutos impoſterum manſiſſe. Quibus verò ità occurſum non eſt, nimiâ ſanguinis profuſione aut protinus aut paulò poſt exanimatos fuiſſe. De quibus ſpero, fore, ut in privatâ aliquâ pertractatione fuſiùs differam.

Ideo verò eos, qui diffuſas juxtà Petechias ſanguinem profuſè emittunt, perire judico; quoniam, quorum ſanguis ex tali cauſà ità vitiatus eſt, eorum corpora inflammatio-

mationem & citiùs fuſcipiunt; & ea, quam fuſceperunt, neque ùt in aliorum corporibus reſolvi poteſt, neque ſuppurare; ſed, quemadmodum in ſcorbuticis, ſiqua inflammatio occupavit, gangrænam efficit, quæ jugulat.

Simili quoque vitii cauſâ ac ratione etiam multos eorum interiiſſe exiſtimo, qui diffuſis Petechiis etiam ſine iſtâ hæmorrhagiâ laborabant: quamvis hi morbum diutius quàm illi traxerint. Quos nunc memorabo.

AEGROTUS LVII.

Anno 1760 menſe Martio febre laborabat vir annos 45 natus: ideoque ſanguinem è venâ miſit. Paulò poſt in ſummâ cute diffuſas Petechias accepit, quæ triduo tales perſtiterunt.

Cùm his febris exarſit, & urina ſæpè flammea ſæpè etiam jumentorum ſimilis evenit.

Ob quam causam serum lactis, cum nitro & melle ùt enema sæpè indi jussi : à quo plurimus mucus & putrida colluvies, quæ nigra nonnunquam erat, descenderunt.

Præter hæc tenuem hordei avenæve cremorem cum succo citrei, julapium item acidum plurimum præcepi, & ut æger decoctum refrigerans cum aceto vini destillato & nitro liberaliter bibat, ammisto ribesiorum syrupo.

Neque verò etiam hæc secutus profectus est, sed febris magis exarsit : utique, quoniam impura, quæ in imô ventre resederunt, non omnia submota erant.

Quare prioribus remediis extractum corticis peruviani multum adjeci; scilicet, ut eô impuram colluviem tanquam condimento emendarem; neve gangræna, quam metuebam, imum ventrem occuparet.

Nihilo-

Nihilominus ortus ſuprà pubem in inteſtino ileo acutus dolor eſt; exque eo febris magis exarſit; acceſſit delirium; & æger ſphacelo extinctus periit die 20: neque ullum remedium quicquam profecit.

AEGROTUS LVIII.

Anno 1761 vir annos 30 natus die 20 Novembris ventriculo doluit & cibos nauſeavit cum vomendi deſiderio.

Ob quæ, pro aliorum conſilio medicamentum purgans poſtero die aſſumſit; & tertio ſanguinem è venâ miſit.

Cùm ægrum die 6 vidiſſem, plurimas in ejus cute diffuſas Petechias conſpexi: ex quibus ægrum morbo jugulatum iri metuebam.

Igitur juſſi hordei avenæve cremorem cum ſucco citrei eſſe, & unaquaque horâ duo cochlearia julapii ex aquæ florum ſambuci unciis ſex & oxymellis ſquillitici unciâ

ciâ & Salis Seignette drachmis duabus assu-
mere. Potui verò dedi decoctas ex aqua
radices graminis acetosæque & scorzoneræ
atque liquiritiæ, & papaveris erratici flo-
res, quibus aceti destillati uncia & unciæ
tres syrupi rubi idæi & duæ drachmæ nitri
adjectæ erant: ut bibat etiam ultrà satieta-
tem. Præterea manè & vesperi enema ex
sero lactis cum melle nitroque inditum est.

Inde multa quidem putrida mucusque
descenderunt, & urina etiam jumentorum
urinæ similis evenit: at nihilominus acces-
sit delirium, manuumque tremor deinde
& oculorum rubedo cum sordibus juxta pal-
pebrarum commissuras.

Quare superioribus remediis manè &
vesperi grana quindecim rhabarbari adjeci
quæ rursum plurima putrida subtraxerunt.

Veruntamen ista omnia necquicquam
profecerunt; contrà verò Petechiæ & plu-
res provenerunt, & ipsæ lividæ factæ sunt.

Ob

Ob quæ die 10 ſuperioribus auxiliis extracti corticis peruviani drachmas ſex quotidie ammiſcui.

Die 11 febris exuperavit, cum vehementi delirio, urina item jumentorum ſimilis evenit, poſtque enemata rhabarbarumque res putridæ deſcenderunt.

Die 12 æger floccos collegit, digitis veſtimenta trivit, corpus ſæpè denudavit, anxiè deliravit veluti metuens, circum oculos ſordes habuit; ventrem multum movit ſpirando; atque arteriarum pulſum celerem habuit; manentibus iiſdem Petechiis. Interea autem temporis æger extractum corticis peruviani aſſumere continuavit: at enema, quod accepit, idem ſine effectu intùs retinuit.

Die denique 13 univerſum corpus ſudore viſcido immaduit, & abdomen maximè intumuit tenſumque eſt; & æger veſperi interiit, utique ex gangrænà in infimô ventre.

tre. Ipsæ autem Petechiæ etiam post mor tem tales, quales ante fuerant, superstite runt.

AEGROTUS LIX.

Anno 1762 initio mensis Februarii vi 52 annos natus male habuit. Ideoque alter die ventrem pharmacô purgavit.

Cùm ægrum tertio die vidissem, febr aliquantum incaluit. Jussi igitur decoctum refrigerans atque julapium cum oxymell liberaliter assumere. Paulo post Petechiæ diffusæ in brachiis maximè verò in dorso eruperunt. Ex quibus verebar, ne æger proximè interiret.

Igitur in præcipiti isto periculo cùm auxilium fefellisset, alios secutus quotidie extracti corticis peruviani unciam præstiti. Posteaquam verò æger octo intrà octiduum extracti uncias assumserat, mortuus est.

Tres

Tres verò ante mortem dies arteriarum pulſus & frequens factus eſt; & reſpiratio denſa cum quâ venter necquicquam motus eſt; & hypochondria intus revulſa ſunt; & os magno hiatu denudatisque dentibus tanquam ſardonio riſu apertum fuit. Utique quoniam in imô ventre ſphacelus erat. Nam quos olim cum riſu ſardonio exanimatos vidi, in eorum infimô ventre modò hoc modò illud nempe aliud atque aliud viſcus ſphacelo vitiatum fuiſſe inveni; cùm horum corpora incidiſſem.

AEGROTUS LX.

Anno 1762 â die 3 Aprilis robuſti corporis habitûs juvenis 25 annos natus ægrotare cœpit. Non magna quidem in principio ægrotatio videbatur: & quoniam dolor capitis urſit, venam in pede ſecari, & potum refrigerantem julapiumque Medicus præceperat.

Cùm

Cùm istum quidem ægrum die 7 accepissem, magna corporis infirmitas æstusque erat, caput vehementer doluit, arteriarum pulsus celer erat; accesserunt vigiliæ, & anxietates circum præcordia; sæpè etiam intrà ipsum febris æstum horror atque frigus supervenerunt. Ob quæ ægri sanguinem è venâ mitti jussi, qui floridus mansit, neque in crustam inflammatoriam coïvit.

Die 8 Petechiæ diffusæ in summâ cute apparuerunt: propter quas julapium cum extracti corticis peruviani drachmis sex & oxymellis squillitici unciâ quotidie præstiti: iisdemque camphoræ grana 40 totidemque salis ammoniaci & grana 30 radicis serpentariæ virginianæ, quotidie assumenda, adjeci. Potui verò dedi decoctum refrigerans, ammisto multo nitro & oxymellis squillitici unciis duabus. Præter hæc serum lactis cum nitro & melle manè & vesperi ùt enema injectum est. His alvus mota est,

eſt, plurimaque putrida ex eâdem deſcenderunt.

Die 9 & 10 orta diarrhæa putrida eſt, urina verò ſanorum ſimilis erat, & magna infirmitas, vigiliæque; arteriarum item pulſus & frequens & celer, & ſæpè univerſi corporis inſudationes. Inter hæc æger & julapium, & pulverem, & decoctum liberaliter aſſumere continuavit.

Die 11 urina adhuc tenuis, & eædem alvi dejectiones liquidæ putridæque erant; atque ſiquidem æger oculos clauſerat ſomnum capturus, deliravit: & ubi corpus paulum movit, ſublimem veluti â curſu, ſpiritum duxit. Feci, ut oxymellis ſquillitici loco, aceti deſtillati uncia cum unciis tribus ſyrupi rubi idæi potui adjiceretur; ſcilicet quæ putridam in imô ventre colluviem citiùs emendarent: & tria emplaſtra veſicatoria protinus imperavi.

Erat die 12 arteriarum pulſus celer, & urina ſanorum ſimilis, & æger nonnunquam deliravit, ſæpè etiam inſudavit, & alvo putrida dejecit, neque potuit dormire, ventrem etiam ſpirando multum agitavit, & narium pinnos ducendo ſpiritum movit, equorum inſtar poſt celerem curſum.

Die 13 ſedes adhuc putridæ erant, neque æger hucusque dormiit; neque ſurdus erat; neque potuit linguam ultrà dentes porrigere; maximè deliravit; & floccos collegit; laborioſè ſpiravit; oculi roſei coloris evenerunt; urina tenuis erat; & æger die 14 mortuus eſt. Manſit etiam poſtero â morte die corpus calidum, in eodemque latæ plagæ nigræ, maximè in extremis digitis apparuerunt. In oculorum item palpebris maculæ rubræ lenticulares, quæ antè non fuerant, eruperunt.

Atque iſtorum quidem ægrorum, qui cum diffuſis Petechiis perierunt, nullus ſoporem

porem habuit. Alii verò, qui ex iſto morbo poſt adhibita eadem auxilia evenerunt, ſoporoſi ante facti ſunt: quemadmodum nunc ſubjiciam.

Aegrotus LXI.

Anno 1762 â die 8 Aprilis vir annos 40 natus aliquandiu infirmus erat, neque cibos voluit; membra fatigata habuit, & vomere deſideravit. Quare ei medicamentum emeticum exhibui; â quo bilis multum ore rejecit.

Poſtero die julapium cum aceto vini deſtillato nitroque præſtiti. Potui verò dedi decoctum refrigerans, cum aceto vini deſtillato, & nitro, & rubi idæi ſyrupo.

Tertio verò die alvum purgante pharmaco ſubmovi; ex eâdemque multa putrida ſubtraxi.

Die 4 eo quòd intenſus corporis calor erat, ſanguinis uncias ferè decem è venâ

 miſi.

misi. Erat autem iste sanguis perruber, tanquam scorbuticorum, neque crustam (quam inflammatoriam medici appellare consuescunt) suscepit.

Die 5 juxtà interna brachia supraque dorsum Petechiæ diffusæ eruperunt. Ob quas superioribus auxiliis sex extracti corticis peruviani drachmas ammiscui, quas intrà 24 horas æger assumeret; quibus camphoræ grana 40 & salis ammoniaci tantundem, & radicis serpentariæ virginianæ grana 20 quotidie ammiscui. Cum his urina sanorum similis erat, arteriarum pulsus frequens, sudor, dolor capitis, vigiliæ, totumque corpus lassitudinem sensit, & alvus multa putrida demisit.

Die 6 alvus ità fluere continuavit; & arteriarum pulsus celer erat; accessit tussis sicca; facta respiratio densa est veluti post cursum, & caput grave.

Die

Die 7 mansit urina ùt sanorum; & pulsus celer. Neque æger surdus evenit, neque somnum habuit.

Die 8 similis urina tenuis, pulsus celer, & facti oculi rubri sunt: accessit leve delirium, intrà quod digiti nonnunquam subsilierunt: hucusque alvus putrida continenter fluxit: ipse verò venter mollis atque circum præcordia fervidus erat. Ab isto verò die æger extracti corticis peruviani unciam totam quotidie assumsit; ejusdemque corpori tria emplastra vesicatoria applicata sunt.

Die 9 & 10 æger magis deliravit, & alvo continenter putrida emisit, & manibus vestimenta carpsit, & difficulter spiravit, alvumque spirando multum movit. Mansit autem hucusque arteriarum pulsus celer, & urina sanorum similis, vigiliæque.

Denique die 11 æger â rectâ ratione omnino aberravit; digitis vestimenta trivit;

labia sæpè retraxit veluti risurus; subsilierunt tendines, atque ex universo corpore sudor multus erupit.

Tandem ortus sopor est: quo æger tres continuò dies implevit: cùmque expergefactus ex eô fuisset, cibos desideravit, salvus omninò: vires deinde victu reparavit.

At, ne quis fortassis existimet, quasi istum quidem ægrum aut emplastra vesicatoria, aut camphora, aut sal ammoniacum, aut radix serpentariæ servassent; nunc aliud curationis exemplum adducam, quod absque his successit.

AEGROTUS LXII.

Anno 1762 â die 16 Maii puella annos 18 nata perinfirma evenit, & calore maximè exarsit. Quare ejus vena secta est; adhibitaque refrigerantia auxilia sunt.

Die

Die 5 eruperunt secundùm interna brachia juxtaque dorsum multæ Petechiæ diffusæ: cumque his calor crevit: accessit tussis arida, & manuum tremor.

Propterea corticis peruviani pulverisati unciam quotidie præstiti: secutum est alvi profluvium, quod plurima putrida in diem undecimum usque excussit: intraque illud tempus tussis humida evenit; quæ tenacis muci multum emolita est.

Supervenit deinde profundus sopor; qui ægram ad integritatem perduxit.

At quo casu emplastra vesicatoria aut conferant, aut supervacua sint, paulo magis infrà (*d*) perquiram.

(*d*) Cap. IX.

CAPUT VIII.

DE VITIIS, QUAE PETECHIARUM MORBO SAEPE VEL SUPERVENIUNT, VEL AB EODEM SUPERSUNT.

Et Petechiarum morbi quidem curatio exposita est. Supersunt verò alii corporis affectus, qui huic superveniunt: ex quibus eos, qui maximè communes sunt, protinus jungam. Hi tres potissimum sunt: Febris nempè intermittens, & hydrops, & in externo corpore abscessus.

In ipso Petechiarum morbo, ubi febris aliquantum ex ardore remisit, sæpè accessiones sive quotidianæ sive tertianæ superveniunt; iterumque post victum Petechiarum morbum, desinunt. Sic his potissimum contingit, in quorum imô ventre impura colluvies

luvies exuperat. Submoventur autem iſtæ acceſſiones per easdem rationes, per quas ipſi Petechiarum morbo ſuccurri poſſe ſuprà poſui: ſcilicet his, quæ alvum purgant.

Alia febris ſuperatô jam Petechiarum morbô, & cùm nullus ex eo calor ſupereſt, ſuccreſcit: eademque aut quotidiana, aut maximè verò tertiana eſt: inque eâ Petechiæ, ſi ſuperſunt, manent, aut novæ iterum erumpunt: articulorum item dolor, ſiquidem talis antè fuerat, revertitur. Nonnunquam etiam acceſſiones confunduntur; ſic, ut neque tempora notari neque ſpatia poſſint; ſed, ùt cœperunt, continuant.

Initium cum frigore fit, intrà quod ſæpè vomendi deſiderium eſt: ſequitur calor urens, cum quo nonnunquam delirium eſt. Finito calore ſudor olens erumpit, & per intervallum quædam requies eſt. Urina turbida evenit, & ſedimentum lateri trito

ſimile præcipitat: nonnunquam etiam jumentorum ſimilis eadem eſt. Imbecilli ægri ſunt; & cibos, ſiquidem hos ante deſideraverant, rurſum nauſeant: ventriculum tumidum habent, ex eodemque dolent: & ſiquid aſſumſerunt, ex eo veluti turgidi ſunt.

Iſta verò febris eos prehendit; qui cibos vel duros, vel nimios etiam faciles, comedunt; interea cum aliquæ adhuc impuræ reliquiæ, â quibus ipſe Petechiarum morbus erat, intus ſuperſint. At quorum venter omninò purus ante eſt quàm ità comedant; hi iſtam febrim non accipiunt; ſed cibos impunè ferunt.

Juvant medicamenta purgantia; quæ impuram colluviem, quæ in imô ventre ſive remanſit, ſive paulo ante hùc acceſſit, ſive ex aliis viſceribus eò inclinavit ſe, omnem ſubtrahunt.

AEGRO-

AEGROTUS LXIII.

Anno 1760 menſe Martio colonus 50 annos natus Petechiis laborabat. Victoque deinde morbo, cùm imbecillus adhuc eſſet, carnem vitulinam avidè comedit: indè friguit, vomuitque, & cibos rurſum nauſeavit: finitoque frigore calor ſummus ortus eſt deliriumque, & novæ item Petechiæ.

Altero verò die cùm febris in remiſſione deſiiſſet, aſſumto medicamento emetico multa cruda rejecit: indeque febris, quæ tertio die acceſſit, mitior evenit. Atque cùm purgante item pharmaco omnia impura ſubtraxiſſet, convaluit, omnis febris & Petechiarum expers.

AEGROTUS LXIV.

Anno 1760 die 12 Martii puella 18 annos nata aliquandiu malè habuit; & non magna quidem febre laborabat; cum quâ

juxta

juxta interna brachia ſupràque pectus mu
tæ Petechiæ ſublividæ, & omninò rotun
dæ, ſeminis viciæ latitudine provenerunt.

Altero die radicis rhabarbari & Sali
Seignette grana quindecim manè & veſpe
aſſumſit, iisdemque cùm multum muci de
jeciſſet, proximâ nocte benè dormiit; &
poſtero die febrim ipſam & multas ex Pete
chiis amiſit, & quæ harum remanſerunt
pallidæ erant.

Aſſumtoque eodem purgante pulver
plurimum muci diebus 4 & 5 & 6 cùm de
poſuiſſet, univerſas Petechias & delevit, &
cibos deſideravit.

At poſteàquam deindè juſtò plus ediſ
ſet, orta febris tertiana intermittens eſt
quæ, ut medias inter utrasque acceſſiones
diebus ſubductus plurimus mucus eſt, ite-
rum deſiit.

AEGRO-

AEGROTUS LXV.

Anno 1760 vir pauper annos 55 natus, ùm â Petechiarum morbo medicinæ bene-.cio evenisset, die 25 Maii in febrim inter-ıittentem quotidianam incidit; propterea uòd caseum & lactucam sale conditam & uros cæterum cibos comederat, interea ùm aliqua adhuc Petechiarum vestigia in jus cute superfuissent.

Huic altero die resinæ jalappæ grana ꞉ptem & grana sex diagrydii ex syrupi flo-ım persicorum unciâ ingessi; per quæ ut ıultum muci excussit, febris in calore re-ıisit. Interea rursum Petechiæ latæ livi-æque supra ventriculum atque mammas ıxtaque axillas provenerunt. At â quo ꞉ger 4 die eodem syrupo iterum purgatus ıit, submotis omnibus impuris rebus Pe-꞉chiæ cum iisdemque febris ægrum reli-uerunt prospere valentem,

AEGRO-

AEGROTUS LXVI.

Anno 1760 Helluo 55 annos natus ii morbum, quem poſt tres ſeptimanas natu ræ beneficio ſuperaverat, deinde die 2 Aprilis relapſus eſt: inque eo iterum calc re exarſit, & pulſum parvum atque frequer tem accepit, cum multis in univerſâ cut Petechiis. Urinam verò non turbidam, ſe fuſcam reddidit.

Huic altero die tartari emetici gran duo cum radicis hypecacuanhæ granis duc decim ingeſſi: quæ multam bilem gran demque lumbricum excuſſerunt. Inde te tio die aliquantum ex calore minutum eſt ipſæque Petechiæ factæ magis pallidæ ſun

Poſt aſſumtas deinde die 4 pilulas pur gantes mota ſexies alvus eſt, exque eâ mu ci multum deſcendit.

Quinto die urina jumentorum ſimili evenit, & ipſa febris eſſe deſiit, plurimæ

qu

que ex Petechiis evanuerunt. Atque ubi 6 iterum die alvus iisdem pilulis mota; atque ſex rurſum itibus multum muci emiſſum eſt, omnis & febris & Petechiæ ægrum die 7 dimiſerunt.

Verum poſteaquam is eſuriens braſſicam fermentatum acidam nimiam, multumque carnis eodem die devoraverat, iterum friguit; in ipſoque frigore vomuit: ſecutus calor urens eſt, intrà quem æger deliravit in alterum usque diem: finitoque calore ſudor acidus erupit. At cùm purgata protinus alvus fuiſſet, iſta etiam febris deſiit, ægerque benè valuit.

AEGROTUS LXVII.

Anno 1760 die 19 Martii mulier 40 annos nata, perſordida, friguit, poſtque frigus calore exarſit: & aſſumtis protinus pilulis alvum duobus continuò diebus purgavit.

Die

Die 4 plurimas in cute Petechias habuit: acceſſit delirium, & laxâ continenter alvo multa putrida deſcenderunt in diem 8 usque. Interea autem temporis & julapium acidum & potus refrigerans liberaliter adjecta ſunt; exque his Petechiarum plurimæ evanuerunt, & febris in calore remiſit.

Die 9 aſſumtis rurſum pilulis laxata ſæpius alvus eſt, plurimaque ex eâ putrida exierunt; deletis inde omnibus Petechiis. Supervenit ſopor quemadmodum his, qui proximè â morbo evaſuri ſunt.

Cùm verò ægra ciborum, quos avidè deſiderabat, juſto plus devoraſſet; excitata rurſum febris eſt, in eâdemque vomitus, & novæ iterum Petechiæ. Ob quas medicamentum emeticum protinus obtuli; quod cùm nigram bilem vomitu & putrida mucoſa alvo ejeciſſet, excuſſæ ſimul omnes Petechiæ ſunt, & febris.

AEGROTUS LXVIII.

Anno 1760 die 14 Aprilis puella 14 annorum tribus hucusque diebus febre exarsit; intrà quam multa millium millia Petechiarum eruperunt: accessit etiam dolor colicus.

Die 4 ex assumto vomitorio medicamento ter vomuit, & plurima putrida infrà demisit. Die item 6 post rèsinæ jalappæ grana quatuor totidemque diagrydii ex syrupi florum persicorum unciâ multum denuo muci plurimaque putrida dejecit. Indeque febris in calore remisit; at in ventre dolor, qualis ante fuerat, mansit.

Die deinde 8 ægra ex motâ decies per idem pharmacum alvo multum muci deposuit: indeque die 9 febris expers lectum deseruit, cibosque appetiit, superstite non nisi aliquâ diversim levi Petechiarum notâ.

Qua propter purgata iterum die 10 alvus eſt, ex quâ cùm multa item putrida deſcendiſſent, ægra in triviis obambulavit omnis expers Petechiæ.

Verum poſteaquam ægra die 15 nimios cibos comederat, orta protinus febris, cum eâdemque novæ rurſum Petechiæ ſunt.

Quare ægram iſto quidem, proximoque, & tertio die ſimili ſyrupo purgavi: qui multa iterum impura excuſſit.

Cùmque die 18 multum item muci pharmaco ſubtractum fuiſſet, ægra febris expers lectum deſeruit, ciboſque rurſum deſideravit; etſi aliqua adhuc Petechiarum veſtigia in cute fuiſſent.

Similiter die 20 multum muci purgando extractum eſt. Deindeque ortum die 24 alvi profluvium eſt, quod in 28 uſque diem continuavit, multumque muci ſubduxit: proximèque adjectis die 29 pilulis cùm plurimus

rimus iterum putridus mucus excuſſus fuiſſet, puella, ſanæ ſimilis, in triviis obambulavit cibos deſiderans.

Inſuper die 33 dolor, tanquam â formicis, ægræ manus pedesque prehendit, iterumque poſt purgatam alvum expulſumque multum mucum dimiſit.

Erat porrò hucusque ægræ facies turgida paulum; aquâ ſcilicet inter cutem; quam deinde alvi profluvium, quod proximè ſecutum eſt, diſſipavit.

Denique poſteaquam die 44 ægra rurſum purgata fuit, benè habuit.

At verò nimium eſuriens ventriculum cibis cum onerâſſet, exque eo die 55 doluiſſet; aſſumtis iterum purgantibus pilulis multa rurſum putrida expulit, ſicque demum ad integritatem pervenit.

AEGROTUS LXIX.

Anno 1760 die 18 Aprilis ægrotabat puella 9 annos nata, protinusque in ejus cute multa Petechiarum millia extabant.

Hæc altero die ex pharmaco vomuit & muci multum alvo demiſit. Veſperi verò febre exarſit, inque ejus imô ventre ortus acutus dolor eſt.

Die 3 aſſumtis reſinæ jalappæ & diagrydii granis quatuor ex ſyrupi de cichoreo cum rhabarbaro unciâ multum muci cum eodemque plurimos vermiculos dejecit: poſt quæ aliquantum ex febre minutum eſt.

Die 5 lectum deſeruit, inque 9 usque diem Petechiis libera ſtipem in triviis petiit.

At poſteaquam ciborum juſtò plus comederat, excitata nova febris eſt; cum eâdemque

demque plurimæ etſi tenues, Petechiæ reverſæ ſunt: acceſſit etiam dolor ventris.

A die 13 deinde, quo ægra purgantem ſyrupum aſſumſerat in diem 15 usque multa impura, cum iisdemque duos lumbricos dejecit: exque his febris iterum expers lectum deſeruit, cibosque rurſum deſideravit.

Die 16 poſt eundem ſyrupum alvo multa putrida, & grandem lumbricum ore rejecit; ſuperſtite magnâ adhuc Petechiarum copiâ.

At poſteaquam die 18 aſſumtis reſinæ jalappæ & diagrydii granis quinque ex ſyrupi florum perſicorum unciâ alvum decem itibus exoneraverat, exque eâ multum muci emiſerat, benè habuit.

Verum die 22 cùm panis atri multum devorâſſet, inſuperque cereviſiam perfrigidam bibiſſet, excitata rurſum febris eſt;

quæ ægram poſt dejecta multa putrida ex purgante pharmaco iterum dimiſit, integramque reliquit.

Aegrotus LXX.

Anno 1760 die 9 Maii fœmina annos 49 nata friguit; finitoque frigore ortus calor eſt, quem univerſi corporis infirmitas & ciborum faſtidium ſecuta ſunt.

Die 3 & 4 plurimæ in cute Petechiæ eruperunt: neque propterea quòd ipſæ Petechiæ prodierunt, febris quicquam remiſit.

Huic die 5 pilulas cephalicas 24 indidi; â quibus ſexies nil niſi mucum eundemque plurimum dejecit. Ortum delirium intereâque horror eſt, quem major calor excepit, ſæpè etiam corpus viſcido ſudore immaduit. Ob quæ proximo die 6to reſinæ jalappæ & diagrydii grana ſex cum ſyrupi florum perſicorum unciâ exhibui, quæ alvum

vum ſexies ſubduxerunt. His die 7 requies erat, etſi permultæ Petechiæ ſuperfuiſſent.

Cùm verò ægra eſuriens caſeum comediſſet, cereviſiamque bibiſſet, excitata nova febris & ſomnus perturbatus eſt in diem 16 usque. Quare aſſumto eodem ſyrupo purgante bis excitatus vomitus eſt, & ſecutum eſt alvi profluvium in diem 22 usque, quo multa putrida mucoſa deſcenderunt. Inde febris eſſe deſiit, neque ullæ Petechiæ remanſerunt.

Inſuper ægra die 23 reſinæ jalappæ & diagrydii & extracti panchymagogi crollii grana quinque aſſumſit, per quæ alvus in diem 27 usque vehementer mota eſt, ex eâdemque muci plurimum deſcendit. Quod quam maximè profecit.

Paulò autem poſt, corpus imbecillum cùm adhuc fuiſſet, ægra nimium comedit, indeque protinus ventriculo doluit; plurimæque iterum, etſi pallidæ, Petechiæ in

ejus cute apparuerunt. Evanuerunt verò ſubito eædem, & ægra proſperè valuit, poſteaquam adhibito purgante pharmaco plurima adhuc impura mucumque ſubduxit.

Neque profecto iſti febri, quandoquidem intus impura ſuperſunt, ipſe etiam cortex peruvianus medetur; ſed eam invictam relinquit. Quemadmodum nunc dicam.

Aegrotus LXXI.

Anno 1761 initio menſis Septembris puella annos 22 nata infirma evenit, atque arteriarum pulſum parvum & frequentem, & reſpirationem denſam accepit; in extremo etiam corpore friguit, non ſitiit; acceſſit ciborum nauſea, & tumor ventris, & urina jumentorum ſimilis, & innumeræ in cute Petechiæ. Attamen etiam cum his ægra erecta obambulavit.

Ob

Ob quæ alvum pluribus imposterum diebus pharmaco laxam effeci; ex eâdemque per multa putrida subtraxi. Inde reversum edendi desiderium est, ipsæque Petechiæ omnes evanuerunt.

Cùm verò ægra ciborum, etsi bonorum, justò plus assumsisset; incidit in febrim tertianam exquisitam, intrà quam reversæ ipsæ item Petechiæ sunt.

Igitur ægram rursum pharmaco purgavi; eidemque corticem peruvianum, qui febrim excutere deberet, exhibui.

Verum isto quidem auxilio etsi febris aliquantùm suppressa fuisset, nihilominus Petechiæ, quales ante fuerant, superstitêre; ipsaque ægra, quemadmodum ab ipso morbi principio, male habere continuavit. Utique, quoniam impuræ reliquiæ intùs remanserunt.

Ob quam causam rejectô cortice peruvianô alvum electuario hydragogo per integros octo dies purgavi. Ex quâ cùm plurima putrida atque mucus, cum iisdemque quinque grandes lumbrici descendissent, omnes subitò Petechiæ evanuerunt & ægra optimè valuit, & cibos avidè desideravit, neque febris ipsa reversa est.

At ubi febris intermittens, posteaquam omnia intus purificata sunt omnesque Petechiæ evanuerunt, ipsa continuat; hæc cortice peruviano superatur.

Aegrotus LXXII.

Anno 1761 fine mensis Julii puella 7 annos nata innumeras ferè in universâ cute Petechias habuit; quarum quædam suprà scapulas latæ, tanquam ex plurium conventu, erant; cum tumido turgidoque abdomine. Nihilominus ægra neque febre laborabat, neque cibos nauseabat, neque

frequen-

frequentem arteriarum pulſum habebat; ſed quemadmodum ſani homines agebat.

Ità ægra octiduô ſuſtinuit ſe: intra quod alvum quotidie radicis rhabarbari & jalappæ pulvere purgavit; multaque ex eâ putrida ſubtraxit. Ex quâ medicinâ ipſæ Petechiæ magis pallidæ factæ ſunt.

Cùm verò ægra maximè eſuriiſſet, & ciborum juſtò plus comediſſet, orta febris tertiana intermittens eſt, cum eâdemque Petechiæ colorem magis rubrum, qualis is in ipſo morbi principio fuerat, iterum induerunt.

Neque tamen iſta quidem febris cum Petechiis, quàm quidem aliqua tertiana ſine Petechiis, magis exarſit. Tempora item intermiſſionum, qualia ſine Petechiis eſſe conſueſcunt, libera erant.

Itaque alvum mediis inter paroxyſmos diebus pharmaco duxi, donec ſubmota

omnia

omnia impura fuiſſent. Quæ medicina trium ſeptimanarum tempus impleverat deindeque ut purificata omnia, deletæque inde Petechiæ fuerunt, febrim ipſam cortice peruviana excuſſi.

Atque iſtis exemplis patet; febrim intermittentem, quæ ipſi Petechiarum morbo, cùm is finem habiturus eſt, ſupervenit, ideò excitari; quoniàm non ſatis puro corpore nova inſuper impura intus aut colliguntur aut aſſumuntur: quod ſæpè contigiſſe experti ſumus: & quòd nonnunquam etiam Petechiæ, quæ abierunt, cum iſtâ febre reverſæ fuerint.

Deinde aliquando inclinato Petechiarum morbo aut univerſi corporis leucophlegmatia ſupervenit, aut œdema pedum, aut infimi ventris hydrops aſcitis.

Pallidi ægri fiunt, atque facie, maximèque infrà oculos, tument; & turgidum abdomen accipiunt; difficulter ſpirant; in

ore

ore fatuitatem habent ; cibos nauſeant ; & ſiquid comederunt , ab eodem veluti turgent , & ventriculo dolent , atque opprimuntur.

Hoc vitium ex eo venit ; quòd ægrorum corpora nondum ſatis pura ſunt ; ſed aliquæ adhuc impuræ reliquiæ intus remanſerunt : ſive tales remanſerint , propterea quòd ægrorum venter in ipſo morbo non ſatis purgatus ante fuerat ; ſive quòd impura colluvies ipſa exuperaverat ; ſic , ut eadem omnis quantocius ſubtrahi non potuerit ; ſive quòd horum morbus purgantibus auxiliis neque curatus , neque ortum aliquod alvi profluvium fuit ; ſive denique , quòd nova rurſum intus convenerunt â cibis ; qui , quoniam eos imbecillum corpus non concoxit , inconfecti intus corrumpuntur.

Id his potiſſimum conſtat ; quoniam , qui intra ipſum Petechiarum curriculum ex

toto

toto purgati fuerunt, hydropici non fiunt: quoniam hydrops, qui eſt, adhibitis purgantibus auxiliis tutò ſubmovetur: quoniam quæcunque alia ſive ſudorifica ſive diuretica remedia, ſcilicet quæ impuram colluviem intus relinquunt, necquicquam proficiunt.

Juvant infrà ducentia medicamenta, atque hydropem, qui futurus eſſet, cavent: quandoquidem ea impuram colluviem ex inteſtinis trahunt.

Scire autem refert; ipſum hydropem purgantibus iſtis remediis in principio quidem necquicquam diſcuti, neque per alvum emitti, ſed eum, donec ſubducta omnia impura ſint, talem, qualis eſt, manere: at poſteaquam omnia intus purificata ſunt, largum urinæ profluvium ſequi, quod omnem ſuperfluam aquam ſecum trahit. Veluti ſuperiore loco (*f*) dixi, & nunc ponam.

AEGRO-

(*f*) Aegrotus XXIX.

AEGROTUS LXXIII.

Anno 1760 die 30 Maii juvenis paupertimus 18 annos natus a 4 jam diebus ægrotaverat, inque ejus cute plurimæ Petechiæ erant, cum summâ febre delirioque.

Huic ægro protinus resinæ jalappæ & diagrydii grana sex cum syrupi florum persicorum unciâ præstiti; quæ alvum quatriduo laxam effecerunt, plurimaque inde putrida multumque mucum excusserunt.

His proximo die 5 febris in calore remisit, & mens rediit, atque aliquantum ex Petechiis minutum est. Accessit etiam surditas soporque.

Die 6 æger unâquaque horâ duo cochlearia julapii assumsit, cui oxymellis squillitici sesqui uncia, & drachmæ duæ Salis Seignette & syrupi florum persicorum uncia adjectæ erant. Hisque melius habuit & cibos appetiit.

At

At poſteaquam æger die 7 recentem caſeum & milii pultem, & braſſicam fermentatam acidam devoraverat, novâ rurſum febre incaluit, & pulſum frequentem accepit, & cibos denuò nauſeavit: neque pharmaca voluit.

Interea verò temporis, donec impurus iſte cibus jejunio confectus fuiſſet, æger vires paululum recuperavit: ſimul autem pedibus intumuit aquâ inter cutem.

Cùm verò julapium laxans, cui manè & veſperi grana quindecim rhabarbari addideram, rurſum aſſumſiſſet, ab eodemque multa item putrida mucoſa dejeciſſet, convaluit; omnis pedum tumoris expers; ſuperfluamque aquam ſæpè mingendo emiſit.

AEGROTUS LXXIV.

Anno 1760 â 28 Octobris laborabat mulier annos 50 nata, pauper; & arteriarum pulſum exilem habuit, & perinfirmum corpus;

pus ; ſupervenit tuſſis arida, inque internâ cute utrinque â cubito ad carpum 20 ferè Petechiæ.

Huic oxymellis ſquillitici unciam & drachmas duas Salis Seignette cum aquæ fragariæ unciis ſex præſtiti; iisdemque manè & veſperi grana quindecim rhabarbari ammiſcui. Verum iſta alvum necquicquam moverunt. Quare die 6 etiam his reſinæ jalappæ grana ſex & tantundem diagrydii cum ſyrupi rhabarbari unciâ adjeci. Neque etiam per ea alvus laxa evenit. Erat porro ægræ urina hucusque tenuis & flava.

Diebus demum 8 & 9 poſteaquam ægra multum rhabarbari aſſumſit, putridum mucum copioſè dejecit: indeque arteriarum pulſus lentus evenit, & febris in calore remiſit. Ipſa porrò urina jumentorum urinæ ſimilis facta eſt.

Die rurſum 11 & 12 manè & veſperi ægra rhabarbari drachmam dimidiam cum

granis quinque diagrydii, & diebus 16 & 20 item resinæ jalappæ grana septem & quinque grana diagrydii ammisto rhabarbari syrupo assumsit: queis multum putridi muci emisit, exque his & meliùs habuit, & cibos appetiit. Urinam quoque jumentorum similem cum sedimento crasso hucusque reddidit.

Ut verò ægra maximè esuriens ciborum justò plus comedit, orta rursum febris, tertiana nempè intermittens, est: at quæ protinus, ubi ægra item pharmaco purgata fuit, desiit.

Verum ægra purgantia pharmaca imposterum pertinaciter rejecit: ideoque, utique quoniam corpus omninò purum nondum habuit, pedibus intumuit aquâ inter cutem.

AEGRO-

AEGROTUS LXXV.

Anno 1760 mulier annos 50 nata, pauper, & perſordida, octiduo jam laborabat cum continuo calore; ob quem & ſanguinem è venâ miſerat, & julapium refrigerans aliquandiu aſſumſerat.

Hæc pedes œdematoſos accepit, intraque ejus brachia â carpo ad cubitum, ſupràque muſculum bicipitem, juxtàque collum Petechiæ provenerunt.

Cum his Petechiis ægra in triviis obambulavit. Aſſumtis verò reſinæ jalappæ granis ſeptem & diagrydii granis quatuor ammiſto ſyrupo florum perſicorum alvum ſexies depoſuit, & multum putridi muci dejecit; indeque meliùs habuit. Urina porrò liberaliter erupit, poſt eandemque omne œdema concidit.

Cùm verò paulo poſt ægra nimios cibos devorâſſet, orta protinus febris quoti-

diana cum eâdemque ciborum nausea est, & pedes rursum intumuêre. Utique quoniam ægra in imbecillum corpus nimium cibum ingurgitavit.

AEGROTUS LXXVI.

Anno 1761 medio mense Januario puella 18 annos nata Petechiis laborabat, absque medicinâ. Morbumque naturæ beneficio, etsi difficulter, tamen post longum tempus, superaverat.

Erat ejus urina crassa turbidaque tanquam jumentorum. Ex quâ nosse licuit, multa impura in ejus ventre fuisse.

Deinde (utique quoniam non purgata fuit) â pedibus ad caput usque hydropica evenit: multæque aquæ in ejus infimô ventre confluxerunt.

Quorum autem impura colluvies adhibitis protinus purgantibus auxiliis omnis sub-

ſubmovetur; hi, dum convaleſcunt, non tument, neque hydropici fiunt.

Deinde diximus inter vitia, quæ â Petechiarum morbo ſupereſſe conſueſcunt, etiam exulcerationes jure comprehendi; etſi multi medicinæ Profeſſores easdem ùt criticas intueantur: parotides nempè & bubones, & in cute furunculos, & abſceſſus juxtà articulos.

Sunt enim iſti quidem abſceſſus ab impuris rebus; quæ in ipſum ſanguinem ex infimô ventre aſcenderunt. Perinde ac in infantum corporibus, in quorum ventre vel vermes vel putridus mucus, vel alia quæpiam impura colluvies reſidet, etiam extrà ipſum Petechiarum morbum & ſæpè ſine magnâ febre vel parotides, vel bubones, vel furunculi, vel labiorum naſique tumores atque ſordes, vel juxtà articulos exortoſes, vel oſſium metatarſi metacarpique aut phalangum tophicum exulceratione mu-

cosâ sæpè fiunt: susceptâ scilicet ex infimo ventre corruptâ materiâ & trans sanguinem latâ atque in diversis his corporis partibus positâ. Quare etiam istos quidem abscessus, qui Petechiarum morbum sequuntur, non ùt criticos possumus intueri: maximè verò, quoniam ipsum morbum non finiunt, sed finitô morbô incipiunt.

Quorum autem impura colluvies adhibito antè purgante pharmaco in ipso Petechiarum morbo omnis subtrahitur; eorum corpora talis abscessus non occupat. Contrà, quibus ægris vel nulla vel imbecilla remedia dantur, vel quæ alvum non evacuant; id est, in quorum ventre impura colluvies relinquitur, hi tales abscessus sæpè accipiunt.

Nam eorum, quos purgantibus auxiliis curaveram, nullus abscessum passus est; si duos excipiás, quorum impura materia ità exuperaverat, ut omnis satis citò educi

non

non potuerit. Vidi verò puellam, quæ Petechiarum morbum diu absque medicinâ tulerat, multos è lumbis & juxtà fœmora furunculos habuisse, posteaquam ab ipso morbo evenerat.

Ob quam causam puto; eos, quibus radice serpentariæ virginianæ, camphorâque, & spiritu cornu cervi, corticeve peruviano occurritur, talibus abscessibus ideo magis obnoxios esse, quoniam ista quidem remedia impuram colluviem, etsi eam emendent, tamen intus in ventre relinquunt.



CAPUT IX.

DE CURATIONUM DIVERSIS GENERIBUS.

Nunc diverſa curationum genera perquiram; quibus diverſi authores utuntur. Ex quibus ea, quæ maximè communia ſunt, protinus jungam. Hæc autem potiſſimum tria ſunt. Alterum nempè quod refrigerantibus auxiliis, alterum quod aromaticis remediis, alterum denique quod cortice peruviano ſuſcipitur: quorum autem nullum perpetuum eſt: quemadmodum experientia in ipſis morbi curationibus docuit, & nunc ſubjiciam.

Qui venæ ſectione & refrigerantibus auxiliis Petechiarum morbo occurrunt; hi febrim ùt principem morbum, tanquam â quâ ipſæ Petechiæ provenirent, aut intuentur; aut ideo, quoniam morbi propria non noſcunt,

noſcunt, generalibus inſiſtunt. Alii his auxiliis acida remedia, ſuccum citrei ſcilicet, acetumve, aut ſpiritum ſive ſalis ſive nitri ſive vitrioli ſulphurisve addunt: utique antiquiores aliquos Medicos imitati. His recentiores hodie Medici etiam enemata refrigerantia adjecerunt.

Verum, quoniam cum iſtis remediis, propterea quòd vitii cauſam non excutiunt, ipſe Petechiarum morbus aut longior manet; aut ægros præcipitat; aut qui ex eo evenerunt diu trahunt, & facilè tument; etiam iſta curatio ùt incerta poteſt repudiari.

Poſſunt tamen iſta remedia conferre; ſiquidem ipſis ſive purgantia auxilia adjunguntur, ſive alvi profluvium ſupervenit, quæ impura ſubtrahunt. Namque, ubi febris exardeſcit, & putrida colluvies in ventre exuperat; refrigerantibus utique & acidis auxiliis ſuccurrendum eſt: ſcilicet ut

per ea & febris calor temperetur; & putrida materia, quæ supereſt, corrigatur; ne ipſa internum corpus ante inficiat, quàm omnis adhibito purgante pharmaco ſubduci poſſit. Quod tutum erit.

Alii camphoram & Sal ammoniacum, ejusdemque ſpiritum, & theriacam, & radicem ſerpentariæ virginianæ ægris offerunt; & externo corpori emplaſtra veſicatoria applicant; & ægros, ut ſudent, veſtimentis tegunt: nempè ut ſic infectos corporis humores condiant, & corruptos cum ſudore expellant, ipſasque Petechias, quas utique ùt criticas intuentur, trans ſummam cutem excutiant.

Verum etiam hi non rectè curant; quoniam cauſæ origo eosdem fefellit. Namque, quod ſuprà â me poſitum eſt, neque princeps vitii cauſa in ipſo ſanguine ſed potiſſimum in imô ventre eſt; neque impura, quæ in ipſo ventre reſident, poſſunt trans exter-

externi corporis poros ſudare; neque ipſæ etiam Petechiæ criticæ ſunt.

Poſſunt verò etiam absque hac cauſæ notitiâ ægri adhibitis iſtis rebus nonnunquam evenire: ſcilicet ubi impura in imô ventre colluvies amaris iſtis ſalſisque rebus tanquam quopiam condimento conficitur, ne eadem corpus ſuâ putredine corrumpat. Et qui ità eveniunt aut difficulter eveniunt; aut poſt ipſum morbum diu infirmi manent; aut aquâ tument; aut in externo corpore abſceſſus accipiunt; aut facilè relabuntur. Multi autem ex his etiam cum iſtâ medicinâ pereunt: quoniam ſic morbi cauſa, quæ collecta in imô ventre eſt, non ſubmovetur: maximèque delentur, materia ubi exuperat. Adde; poſſe febrim, quæ per ſe fervida eſt, adhibitis calidis iſtis rebus etiam magis exardeſcere, per easdemque viſcerum gangrænam, quæ per ſe facilè prehendit, citiùs excitari.

Quare

Quare etiam iſtam curandi rationem jure ùt exitioſam poſſumus intueri.

Volui etiam ipſe iſtud medicinæ genus experiri, Petechiæ ubi absque febre erant, & ità ſine noxâ licuit. Quemadmodum nunc exemplum ponam.

Aegrotus LXXVII.

Anno 1760 initio menſis Martii mulier ſubitò perinfirma facta eſt; pulſumque frequentem & exilem & faciem luridam accepit; & ſudore frigido immaduit.

Poſtero die multæ in cute Petechiæ erant; & ægræ ſanguis menſtruus fluxit: & ipſæ Petechiæ proximo die magis rubræ provenerunt, eædemque quarto die lividæ factæ ſunt: cum his ægra neque febre incaluit, neque urinam turbidam, ſed ſanorum ſimilem, emiſit.

Julapium acidum & potum refrigerantem atque camphoræ grana ſex, & ſalis am-

moniaci

moniaci grana tria, totidemque nitri cum roob ſambuci duabus quibusque horis præſtiti; alvum verò non ſubduxi: inde ægra quatriduo poſt convaluiſſe videbatur omnium Petechiarum expers.

At manſit hucusque magnus ventris tumor: utique ab impuris rebus, quæ in eodem reſtiterunt: deinde poſt decem dies ægra iterum infirma evenit, pulſum denuò exilem accepit, friguit, finitoque frigore caluit, urinam jumentorum ſimilem cum multo ſedimento craſſo reddidit, multæ rurſum Petechiæ in cute prodierunt ſecundùm interna brachia potiſſimum, & ægra cibos iterum nauſeavit; perinde ac in ipſo morbi principio.

Quare rejectâ ſuperiore curandi ratione rhabarbari pulverem cum ſale indies exhibui; qui ut multa putrida mucoſa quatuor continò diebus ſubtraxit, edendi deſiderium reſtituit; ipſasque Petechias pallidiores

res effecit. Ob quæ ægra rursum rhabarbarum assumsit; ab eodemque multa item putrida dejecit; indeque & ventris tumorem, & ipsas Petechias omnes amisit.

Supererat autem post cibum in stomacho molestia; ab impuris scilicet reliquiis: postea quam verò ægra assumto medicamento vomitorio multam bilem mucumque excussit; prosperè valuit; neque idem morbus reversus est. Utique, quoniam ipsa morbi causa his auxiliis submota est.

Ex quibus patet; superiorem curationem, quoniam ea morbi causam intùs reliquit, imperfectam fuisse; eandemque, febris exuperat, posse exitiosam evenire.

Tertium curæ genus, ùt quidam volunt, cortice peruviano absolvitur; multum ubi quotidie offertur. Verùm etiam istud remedium, quoniam morbi causam emendat non tollit, per se solum aut satis non est, aut vanum omninò: ipseque morbus

ſi iſto quidem auxilio ſupprimitur, proximè reſurgit. Quare etiam iſta curatio per ſe imperfecta eſt: veluti ſuperiore exemplo (*g*) patuit, & nunc ſubjiciam.

AEGROTUS LXXVIII.

Anno 1760 initio menſis Octobris laborabat vir 45 annos natus. Hujus vena, quoniam is febre exarſerat, ſecta eſt; alteroque die poſt medicamentum emeticum multa impura rejecit.

Poſt aliquot deinde dies ſecundùm carpum juxtaque collum Petechiæ prodierunt. Interea verò æger multum corticem peruvianum aliquandiu aſſumſit. Verum quoniam iſto etiam remedio morbus neque mitior evenit, neque ipſæ Petechiæ imminutæ ſunt, ſed tales quales antè fuerant, ſubſtiterunt,

(*g*) Aegrotus LXXI.

ſtiterunt, ægro medicamentum purgans exhibui; â quo cùm multa putrida dejeciſſet, meliùs habuit, & lectum deſeruit.

Supererat verò aliqua corporis imbecillitas, ventrisque tumor, & faciei pallor atque aqua inter cutem. Quare rurſum multum corticem peruvianum, qui corpus roborare deberet, præſtiti. Verùm neque etiam nunc iſtud remedium profecit.

Igitur rurſus alvum medicamento purgante tres continuò dies ſubduxi. Cùmque sìc ſubtracta multa putrida plurimusque mucus fuiſſent, æger integrè convaluit.

Nonnunquam impura iſta colluvies, quæ cortice peruviano antè correcta fuit, deinde, cùm ſuperatus morbus eſt, per ſe deſcendit: idque tutam valetudinem præſtat.

AEGRO-

AEGROTUS LXXIX.

Anno 1760 vir annos 30 natus initio mensis Augusti laborabat: & alvum aliquoties rhabarbaro purgavit.

Hujus venam sexto die, quoniam febris multum exarserat, secari jussi; eidemque julapium refrigerans sæpè exhibui: potui verò dedi decoctas ex aquâ radices graminis, acetosæque scorzoneræ & liquiritiæ, & flores papaveris erratici, adjecto multo nitro.

Erat autem urina tenuis, & arteriarum pulsus frequens, & calor summus, deliriumque. Post aliquot deinde dies in cute Petechiæ interque eas ecthymata miliaria rubra eruperunt.

Neque verò, cùm istæ quidem pustulæ eruperunt, quicquam ex febre minutum est; sed ipsa talis, qualis ante fuerat, continuavit; ægerque continenter deliravit:

quasi ista pustularum eruptio necquicquam critica esset, proficeretve.

Supervenit surditas soporque quinque dierum; post hæc lingua humida facta est; & tussis multum tenacis muci emolita est.

Ab ipso verò Petechiarum principio in octavum decimum usque diem, quo superatus morbus est, camphoræ grana viginti quinque & extracti corticis peruviani drachmas quinque ægro quotidie ingessi.

Postquam verò morbus finem habuisset, excitata in infimo ventre tormina sunt; ortumque largum alvi profluvium est, quod multum & sæpè solum mucum acutos inter tenesmos aliquandiu excussit; indeque æger prosperè valuit.

At ubi intrà ipsum Petechiarum morbum, quo tempore cortex peruvianus adhibetur, largum aliquod alvi profluvium erumpit; tutior curatio est: propterea quod cor-

cortex peruvianus impura, interea dum aliquantum ex his infrà ſecedit, cætera intus tanquam quopiam condimento conficit, cavetque, his ne ipſa viſcera corrumpantur.

Aegrotus LXXX.

Anno 1760 puella annos 14 nata, quæ â longo jam tempore multa impura crudosque fructus plurimos comederat initio menſis Decembris ægreſcere cœpit; ſic, ut modò cubaret modò etiam erecta obambularet, donec ſuccubuiſſet.

Aſſumſit autem ægra medicamentum purgans, quod largum alvi profluvium ſecutum eſt, & ad finem morbi usque continuavit.

Interea autem temporis multæ in cute Petechiæ prodierunt, & febris exarſit, & ægra ſurda & ſoporoſa evenit, & oculos rubros accepit, & linguam aridam, & tuſſim ſiccam; â rectâ etiam ratione aberat;

& ubi paululum resipuerat, multum lacrymabatur, quoniam acutum in pedibus dolorem habuit; qui paulo post etiam brachia prehendit.

Igitur isti ægræ quotidie extracti corticis peruviani drachmas tres cum julapio acido ingessi; donec â morbo evasisset.

Inter hæc facta tussis humida est; & ægra tenacem mucum screando ejecit; oculosque rursum claros accepit, calor item deliriumque desierunt, & ægra post undecim dies convaluit; ipsaque diarrhæa, posteaquam plurima putrida per eam descenderunt, finem fecit. Dolor quoque brachia & pedes iterum dimisit.

Aegrotus LXXXI.

Anno 1762 die 21 Decembris juvenis annos 17 natus febre protinus malè habuit: simulque & faciem luridam, & pulsum frequen-

quentem celeremque, & magnam ſitim accepit, cum ſummâ corporis fatigatione.

Ob quæ mitti ſanguinem juſſi, qui floridus manſit, corporis autem calor, qualis antè fuerat, idem eſſe continuavit. Ideoque julapium præſtiti, cum nitri drachmâ & oxymellis ſquillitici unciis duabus. Potui verò dedi decoctum refrigerans cum oxymelle ſquillitico. Diætam etiam tenuem imperavi ; & enema laxans ter quotidie præcepi.

His alvus mota eſt, ex eâdemque multa putrida deſcenderunt.

Tertio deinde die Petechiæ diffuſæ ſecundum interna brachia eruperunt ; quæ, poſteaquam duobus diebus tales perſtiterunt, tertio evanuerunt.

Quare, quoniam majus ex iſtis quidem, quàm ex circumſcriptis Petechiis periculum fore judicavi, ſuperiori julapio extracti cor-

ticis peruviani unciam dimidiam adjeci; ſic, ut viginti quatuor intrà horas æger extracti corticis unciam aſſumeret.

Interea alvus ad ipſum morbi exitum usque continenter laxa manſit; exque eâ plurima putrida exierunt. Acceſſit etiam delirium, intrà quod æger manibus intremuit. Supervenit quoque ſurditas, ſoporque, & nonnunquam arida tuſſis.

Die denique 17 inclinatâ febre arteriæ quieverunt, & pulſus mollis lentusque evenit; tuſſis humida facta eſt; & plurimus ſudor acidus ex univerſo corpore erupit; rediit recta mens: & imbecillus æger, victo morbo, cibos deſideravit.

Erat autem hujus quidem ægri urina ab ipſo morbi exordio ad finem usque tenuis limpidaque.

AEGRO-

AEGROTUS LXXXII.

Anno 1762 â die item 21 Decembris juvenem 21 annos natum eadem febris, verum absque Petechiis, prehendit.

Erat ipſum quidem morbi principium facile, & arteriarum pulſus lentus. Caput verò plurimum doluit; & ſæpè ſanguis è naribus erupit. Ob quam cauſam ægri vena bis ſecta, exque eâ ſanguinis multum tractum eſt: qui glutinoſus tanquam in inflammatoriam cruſtam coïvit. Julapia item atque decocta refrigerantia præſtita ſunt.

Succrevit interea febris; quæ paulò poſt exarſit. Ortum quoque delirium eſt; & arida tuſſis ægrum excruciavit. Nonnunquam etiam urina jumentorum ſimilis evenit. Porrò oculi rubuerunt, & alienata mens eſt, acceſſit ſopor ſurditasque.

Aegro verò ab ipſo febris primordio ad morbi poſtremum usque julapium, cum ni-

tri drachmâ & oxymellis ſquillitici unciâ præſtiti, ammiſtâ extracti corticis peruviani ſemiunciâ. Potui verò dedi decoctum refrigerans adjecto item nitro & oxymelle ſquillitico. Præter hæc tria quotidie enemata imperavi, eſui verò dedi jura carnium tenuia cum ſucco citrei, & molles arborum fructus.

His alvus liberaliter ſoluta eſt; ex eâdemque plurima putrida multusque mucus deſcenderunt.

Die deinde 17 ſuperatâ febre univerſum corpus ſudore acido immaduit; reverſa recta mens eſt; oculi clari evenerunt, & æger rectè audivit: tuſſis etiam humida facta eſt, quæ quamplurima ſputa alba cocta liberaliter, verè veluti ex pleuritide, emolita eſt. Utique quoniam iſtius quidem ægri ſanguis plus, quàm aliorum, mucoſus erat. Vires deinde victus reparavit.

AEGRO-

AEGROTUS LXXXIII.

Anno 1763 die 1 Januarii juvenis annorum 24 ſubitò infirmus evenit; & faciem luridam & graviorem ſpiritum & fatigata membra accepit; capite vehementer doluit; & arteriarum pulſum celerem habuit.

Juſſi ex ægri venâ multum ſanguinem mitti. Diætam tenuem imperavi, & julapium decoctumque refrigerans medicinæ dedi, adjecto multo oxymelle ſquillitico; ſæpè etiam enema imperavi; ſcilicet ut his alvus ſubmoveretur.

Inde ſecuta alvus laxa eſt; ex eâdemque multa putrida evenerunt.

Inter hæc febris magis exarſit; inque oculis id, quod album eſſe debet, roſeum factum eſt; acceſſit ſurditas, tremorque artuum, ſiquid æger prehenſurus erat: iſque, quamvis mentis ſuæ compos eſſe vi-

deretur, balbutiendo vix ſenſus ſuos explicavit. Supervenit etiam ſopor, perinde ac quibus Petechiæ in cute ſunt. Nonnunquam quoque urina jumentorum ſimilis evenit.

Ob quam cauſam ſuperioribus auxiliis corticis peruviani extracti partem adjeci, ſic, ut ejus unciam æger intrà diem noctemque aſſumeret.

Cum his alvus laxa manſit; ex eâdemque multa putrida deſcenderunt. Poſtea verò oculi rurſum clari evenerunt; acutusque auditus eſt; & rediit recta mens: finitâque febre ſudor acidus ex univerſo corpore erupit, & facta humida tuſſis eſt; iſteque æger, aliquantò citiùs, poſt diem duodecimum convaluit.

Atque talia quidem curationis exempla poſſem plura afferre, ſi opus his eſſet.

Ex quibus verò patet; iſtos & ſuperiores (*h*) ægros non tàm corticis peruviani beneficio, quàm diarrhϾ potius auxilio ſalvatos fuiſſe: corticemque peruvianum per ſe Petechiarum morbo non mederi, ſed adjuvare curationem, quam vel alvi profluvium vel adhibita purgantia remedia interea perficiunt: eundemque ſupervacuum eſſe, circumſcriptæ ubi Petechiæ ſunt, & ipſa impura colluvies ſolis in inteſtinis omnis reſidet. At ubi diffuſæ Petechiæ ſunt, aut ſi (quemadmodum ſuperiore loco (*i*) dixi) cum ipſo Petechiarum morbo tenax præterea mucus in ipſis infimi ventris viſceribus hæret exuperatque, ſic ut prævideri poſſit, morbum in longum tracturum eſſe; aut ubi impura colluvies omnis in unâ tantum alicujus inteſtini parte convenit;

(*h*) Aegrot. LXI & LXII.

(*i*) Cap. VII.

nit; cortex peruvianus, quoniam ex his caufis metuenda gangræna eft, fuperioribus auxiliis addi debet; donec fuperatum periculum fit. Hìc enim breve fpatium eft, intrà quod, fi auxilium non fertur, æger extinguitur.

Quodfi deinde victa gangræna periculumque fuerit, debent iterum purgantia remedia adhiberi; ne ex iftâ materiâ, fi ea intus relinquatur, morbus paulo poft idem refurgat, febrisque iterum exardefcat. Veluti aliqua hìc exempla jungam.

Aegrotus LXXXIV.

Anno 1761 fine menfis Martii vir 30 annorum aliquandiu ægrotabat, indeque perinfirmus evenit, capite doluit, cibos naufeavit, fæpe vomere voluit, & raras in cute Petechias accepit, poftque affumtum medicamentum emeticum multam bilem vomuit: & cùm vomuiffet, meliùs habere vide-

videbatur; deinde jura carnium tenuia, julapiumque acidum cum potu refrigerante liberaliter aſſumſit.

Credideram; pro iſtâ quidem curatione ſecundam valetudinem proximè reverſuram eſſe.

At præter opinionem quarto die mors in propinquo erat. Extremæ enim corporis partes factæ frigidæ ſunt, ſuper easdemque gelidus ſudor ſtabat, & retracti oculi triſtesque, tanquam morientis hominis, ſunt; horumque palpebræ inferiores cavæ & plumbei coloris evenerunt; acuminatus etiam naſus eſt; oris item labia pallida evenerunt, & facta reſpiratio denſa eſt, & arteriarum pulſus parvus & frequens & inæqualis; acceſſit delirium; intrà quod æger ſæpè corpus denudabat, & manibus palpabat.

Quare protinùs plurimum corticis peruviani extractum, adjectâ aquæ & ſyrupi por-

portione indidi ; ſic, ut æger intrà 24 horas tres ferè extracti uncias aſſumſiſſet: inde poſtero die facies melior prodiit, totumque corpus iterum incaluit, & arteriarum pulſus ordinatus evenit. Tertio die febris maximè exarſit, in eâdemque æger vehementer deliravit.

Paulo verò poſt (quod maximè notandum velim) ſoluta alvus eſt ; ex eâdemque multa putrida & plurimus mucus deſcenderunt; â quibus æger reſipuit, perimbecillus quidem adhuc.

Interea autem temporis æger plurimum corticem peruvianum aſſumſit; ſuperatoque ità periculo, victâque febre copioſus ſudor acidus ex univerſâ corporis cute erupit, isque octo ferè dies continuavit. Utique quoniam etſi febris iſtis quidem auxiliis ſuppreſſa fuerit, nihilominus aliquæ adhuc impuræ reliquiæ intus remanſerunt.

Poſt

Poſt iſtam autem requiem nova rurſum febris ſuccrevit; inque eâ æger iterum deliravit; quam item impura colluvies, quæ intus remanſerat, excitavit. At cùm alvus adhibito iterum laxante pharmaco purgata fuiſſet, exque eâ excuſſa multa item putrida fuiſſent, omnis etiam febris ſudorque eſſe deſierunt; & æger ex toto convaluit.

AEGROTUS LXXXV.

Anno 1761 â die 2 Martii eodem morbo, verum absque Petechiis, laborabat mulier 38 annos nata; quæ, quoniam febre exarſerat, ſanguinem è venâ miſit; & julapium acidum potumque refrigerantem liberaliter aſſumſit; enema item refrigerans quotidie accepit; quod multa putrida ſubtraxit.

Nihilominus febris exuperavit, & in hypochondrio dextro, ferè ubi inteſtinum cæcum jacet, ortus acutus dolor eſt; qui poſt

poſt indita ſæpè enemata & ſubductam multam putridam materiam, & miſſum rurſum è venâ ſanguinem imminutus eſt.

Attamen poſt hæc ægra ſubitò delirare cœpit; & facta ejus facies pallida, atque oculi triſtes ſunt, circumque eosdem lividus in palpebris circulus ivit, acuminatus naſus eſt, labia pallida evenêre; arteriarum quoque pulſus factus exilis, inæqualis, & tremulus eſt; ægraque ſæpè corpus denudabat; manibus item palpitabat veluti floccos collectura, univerſumque ejus corpus frigido ſudore immaduit.

Ob quæ protinùs extracti corticis peruviani drachmam integram unaquâque horâ præſtiti: â quo, cùm 12 intrà horas 12 etiam extracti drachmæ inditæ fuiſſent, mens rediit, & elevatus arteriarum pulſus eſt, corpus rurſum incaluit, oculi prodierunt, ipſaque facies melior evenit. Cùmque ità ægra extracti corticis peruviani uncias tres con-

ſum-

ſumſiſſet, tuta, etſi perimbecilla, fuit; plurimumque dormiit tanquam ſoporoſa.

Cùmque reſipuiſſet, iterum juxtà inteſtinum cæcum, quemadmodum antè, plurimum doluit; & urinam jumentorum ſimilem cum multo ſedimento flavo mucoſo emiſit. Utique, quoniam in iſtâ infimi ventris parte omnis colluvies reſidebat. Quare tria quotidie enemata injici juſſi; quæ multa putrida ſubduxerunt. Inde porro febris eſſe deſiit; & ex univerſo corpore plurimus ſudor acidus erupit; idemque pluribus deinde diebus fluere continuavit.

Quare ægræ alvum fortiore pharmaco ſubmovi; â quo cùm triginta ſedibus plurima putrida dejeciſſet meliùs habere cœpit. Tertio deinde die poſteaquam ægra adhibito eodem pharmaco plurimum item mucum excuſſit, cibos deſideravit.

Exeunte morbo ægræ pedes, quemadmodum, in quorum ventre poſt ipſum

Petechiarum morbum multa impura relinquuntur, intumuêre aquâ inter cutem.

At poſteaquam pharmaco ſæpè purgata fuit, proſperè valuit; plurimamque urinam tenuem continuò reddidit, quæ omnem ſuperfluam aquam ſecum traxit.

Atque iſtis quidem curationum experimentis edoctus poſterioribus deinde annis cortici peruviano, ſiquidem eo opus in Petechiarum morbo erat, aut laxantia remedia adjeci, ut alvus flueret; aut eam adhibitis enematibus laxam effeci ad morbi exitum usque. Quam curandi methodum, quoniam ea plurimum profecit, optimi noſtrates Medici etiam receperunt.

Deinde etiam quæritur; ægrisne venæſectio conferat, an noceat? ſcilicet, quam nonnulli medicinæ Profeſſores maximè metuunt, & ùt exitioſam rejiciunt.

Non

Non equidem confert venæſectio; ſi in ipſo morbi principio magna debilitas atque infirmitas eſt, & arteriarum pulſus exilis adhuc exiſtit: quoniam poſſet per eam corpus magis imbecillum effici: etſi etiam non nocuerit his, qui proprio conſilio ſibi venam ſecari fecerunt: quod experientia docuit.

Expedit verò venam ſecare; ſi calor exardeſcit & febris exuperat. Scilicet ne inteſtinorum inflammatio, quæ â putridâ in his colluvie facilè futura eſſet, occupet. Neque verum eſt, quod quidam metuunt, poſſe Petechias poſt ſectam venam intùs in corpus reverti ægrumque præcipitare. Quare quoniam Petechiæ necquicquam criticæ ſunt, vanus iſte timor eſt. Semper enim poſt ſectam venam, & poſt menſtruum ſanguinis fluxum, ſiquidem is ægris mulieribus ſupervenit, ipſæ Petechiæ, quales ante fuerant, ſuperſtiterunt: quod experien-

tia in ipſis morbi curationibus ſæpè docuit.

Denique etiam emplaſtra veſicatoria ab aliquibus medicinæ Profeſſoribus ùt maximè neceſſaria proponuntur. Verum ea, quoniam neque poſſunt impuram colluviem, â quâ morbus ipſe eſt, extrahere, neque Petechiæ ipſæ criticæ ſunt, in genere inutilia ſunt.

In ſpecie verò neceſſaria eadem ſunt, ubi cum Petechiarum morbo tenax aliquis mucus, quod ſuprà memoravimus, in ipſis infimi ventris viſceribus coïvit hæretque; debet utique is, quemadmodum multæ aliæ concretiones ſeroſæ, applicatis ſimul cantharidibus antè ſolvi, quàm ardente febre accendatur, exque eo ipſa viſcera inflammentur. Quod per ſua privata ſigna, qualia eodem loco recitavimus, prænoſſe intereſt.

Quodſi

Quodſi verò famæ etiam ratio habenda eſt; poſſunt item emplaſtra veſicatoria, quoniam ea nunquam in iſto morbo nocent, etiam ubi ſuperflua ſunt, applicari; ne quid omiſſum exiſtimetur; neque medicus occidiſſe videatur, quem non servâſſet.

Atque hæc Medicorum auxilia ſunt. Sed pudet dicere exitioſas agyrtarum fraudes; quæ nunquam ferè frequentiùs exercentur, quàm cùm popularis aliquis morbus civium corpora torquet animoſque angit. Aegris verò hominibus medicina imperitè facere, horumque morbos ſine rectâ rerum cognitione agitare, proximum homicidio ſcelus videtur.

His adde ſuavius illud noxæ genus mulierculas; quæ non quæſtûs quidem, quod ajunt, cauſâ, ſed ægrorum miſeriis commotæ piâ, ùt volunt, mente preſſis medicinâ ſuccurrunt. At crudelis iſta in proximum pietas eſt; quæ poteſt noxiâ ſolicitu-

dine ægrum neçare, quem ſalutari incuriâ ſervâſſet.

Imò eô hodie deventum eſt animi levitatis; ut, ſiqui ignavi homines rerum domeſticarum jacturam paſſi ſint; neque repetundis par labor propter ſocordiam ſit; ii medicamenta compingant; quæ verſô pollice ornatôque mendaciô afflictis vendunt: ſcilicet, ut horum miſeriis pingueſcant. Similes hi ſunt pauperi cuidam latroni; qui divitem aliquem hominem occidit, ut ejus exuviis penuriam â ſe ipſo avertat.

Quisquis Magiſtratuum ſancitâ lege ſervatâque continuò legis ſeveritate tacitas iſtas reipublicæ peſtes expellit, tot homines tutos ſervabit quot â morte caveret is, qui imminens bellum componeret pacemque ſtatueret. *Homines ad Deos nullâ re propiùs accedunt, quàm ſalutem hominibus dando* (*k*).

CAPUT

(*k*) Tullius.

CAPUT X.

PETECHIAE SI CUM ALIO QUOPIAM MORBO CONVENIUNT, QUOMODO SUCCURRENDUM SIT?

Possunt etiam Petechiæ cum alio quopiam morbo convenire: ceu cum febre intermittente, variolisve, aut cum dysenteriâ: maximèque tales morbi ubi omnes simul circumeunt. Quemadmodum æstate anni potissimum 1761, qua tempestate & Petechiæ, & morbilli, & variolæ, & febris scarlatina, & dysenteria, & febris intermittens populares erant.

Et primò quidem potest febris intermittens aut inter ipsas Petechias excitari, aut possunt febri, quæ est, ipsæ Petechiæ supervenire. De illâ suprà scripsi: de hâc nunc dicam.

Si ad febrim intermittentem, quæ per se talis exiſtit, Petechiæ accedant; indicio ſunt, in ægri imô ventre multa impura reſidere. Quare ante omnia alvus movenda eſt; vomitoriô quidem medicamentô, maximè verò purgantibus remediis: usque dum nullæ Petechiæ ſuperſint: id eſt donec infimus venter ex toto purus ſit. Deinde febris ipſa ſubmovenda eſt per eas rationes, quæ eidem mederi poſſunt.

Aegrotus LXXXVI.

Anno 1761 â die 26 Aprilis mulier 40 annos nata laborabat febre intermittente tertianâ.

Erat ægræ facies lurida arteriarum pulſus parvus, vomendi deſiderium, atque è ventriculo oppreſſio anguſtiæque Quare ægræ medicamentum emeticum exhibui; â quo ſingulare quidem nihil niſi aquam, qualem biberat, protinùs rejecit. Alvo verò multa impura depoſuit.

Urina

Urina autem jumentorum urinæ ſimilis facta eſt; eruperunt ſecundum interna brachia, juxtaque collum & ſuprà pectus Petechiæ: quæ ſignificabant, multa impura in imô ventre ſupereſſe.

Quare mediis inter acceſſiones tribus diebus alvum purgante pharmaco ſubduxi: deindeque cùm impura omnia ex eâ deſcenderunt, ipſæque Petechiæ omnes evanuerunt, febrim cortice peruviano ſubmovi.

AEGROTUS LXXXVII.

Puellam 5 annos natam, quæ anno 1760 menſe Aprili febre intermittente quotidiana cum plurimis Petechiis laboraverat, rurſus eadem febris proximo anno 1761 medio menſe Majo prehendit, cum plurimis item in cute Petechiis. Tempore verò intermiſſionum omnis caloris expers puella in triviis cucurrit cum ſociis ludendo tempus terens.

Hujus alvum tamdiu pharmaco purgavi, donec inde ſubtracta omnia impura fuiſſent; nihilque ex Petechiis reſtitiſſet. Deinde febrim ipſam cortice peruviano excuſſi.

Iſtas verò Petechias ideò reverſas fuiſſe judico; quoniam ægræ venter ſuperiore anno non ſatis poſt morbum purificatus fuit; ſed multa hucusque impura in eo convenerunt ex malo victu. Erat enim ægra peregena.

AEGROTUS LXXXVIII.

Eodem tempore hujus ægræ ſoror 2 annos nata febre intermittente quotidianâ laboravit cum plurimis in cute purpureis Petechiis. Tempore item intermiſſionum benè habuit; tanquam nulla ipſi ſive febris ſive Petechiæ eſſent.

Hujus etiam alvum tamdiu pharmaco ſubduxi; donec omnia ex eâ impura deſcendiſſent

diſſent neque Petechiæ ſuperfuiſſent. Febrim ipſam deinde cortice peruviano profligavi.

Nonnunquam febris ipſa, quæ cum Petechiis eſt, per ſe deſinit, poſtea nempè quàm corpus pharmaco purificatum eſt.

AEGROTUS LXXXIX.

Anno 1760 die 3 Maii mulier 38 annos nata febre tertianâ laborabat: & cum tertiâ febris acceſſione Petechiæ ſecundum interna brachia juxtaque collum prodierunt.

Hujus alvum reſinæ jalappæ granis ſeptem & quatuor granis diagrydii ex ſyrupi florum perſicorum unciâ ſubduxi: queis multa putrida deſcenderunt, ipſaque febris & mitior evenit & Petechiæ pallidiores factæ ſunt. Cùmque alvum eodem pharmaco rurſum ſubmoviſſem, omniaque impura inde ſubtraxiſſem, febris ipſa eſſe

deſiit,

desiit, ægraque Petechiarum expers convaluit.

AEGROTUS XC.

Anno 1760 â die 27 Aprilis mulier annos 40 nata pauperrima & cui â duobus jam mensibus fœda scabies erat, nunc febre tertianâ cum eâdemque Petechiis, quæ positæ inter ipsam scabiem erant, laborabat. Erat præterea ægra perinfirma, & cibos nauseabat.

Dedi resinæ jalappæ grana septem & quatuor grana diagrydii ex syrupi florum persicorum unciâ: â quibus multa putrida deposuit. Ipsa verò febris Petechiæque eædem substiterunt. Quare alvum eodem pharmaco rursum purgavi: cùmque multa inde putrida descendissent, Petechiæ evanuerunt: ipsa verò febris alterno die reversa est. A quo verò alvus eodem item pharmaco

macô purgata fuiſſet, ipſa quoque febris eſſe deſiit.

Aegrotus XCI.

Anno 1760 â 4 die Maii puella 4 annos nata febre tertianâ laborabat.

A tertia acceſſione alvum reſinæ jalappæ granis quatuor totidemque diagrydii cum ſyrupi florum perſicorum unciâ miſtis purgavi. Cùm multa putrida ſic ſubducta fuiſſent, etiam proxima febris mitior acceſſit.

Aegra autem erecta obambulabat; & ventrem tumidum habebat, & inditis digitis nares, tanquam ventre vermes haberet, fricabat. Venerunt ſuprà dorſum ventremque, & juxtà carpum, malaque, & ſuprà tempora Petechiæ. Urina item jumentorum urinæ ſimilis exiit.

Ob quæ ægram rurſum pharmaco purgavi: â quo depoſitâ ſepties alvo multum

muci

muci defcendit. Inde proxima febris mitior, ipfæque Petechiæ pallidiores factæ funt. Cùmque ægra alvum denuò purgâffet, convaluit omnis febris & Petechiarum expers.

Scire autem refert, ùt etiam paulò magis fuprà obfervavimus, Petechias in ipfis febrium paroxyfmis neque magis rubras neque harum plus fuiffe; quàm quidem tempore intermiffionum. Ex quo rurfum patet, Petechias non â calore fieri.

Nonnunquam Petechiæ cum alio quopiam morbo epidemico funt. Ut enim diverfa morborum popularium miafmata poffunt in eodem aëre fimul effe, ità etiam aliqua ex his nonnunquam in uno eodemque corpore conveniunt.

Aegrotus XCII.

Anno 1761 die 4 Septembris mulier â duobus jam menfibus gravida cùm fuiffet, dyfen-

dyſenteriâ, quæ eo tempore popularis erat, aliquandiu laborabat.

Erat iſta quidem dyſenteria difficilis, cum eâdemque magna febris. Eruperunt præterea ex univerſâ corporis cute maximèque in internis brachiis multæ Petechiæ; & urina jumentorum urinæ ſimilis cum ſedimento craſſo, tanquam cereviſiæ fermentum, evenit.

Quare ægræ alterno quoque die pulveris rhabarbari drachmam, & quavis inter utrosque hos dies horâ cochlear unum tincturæ rhabarbari aquoſæ ingeſſi, ammiſtâ terrâ foliatâ tartari & ſyrupo roſarum ſolutivo.

His alvus maximè ſoluta eſt; ægraque plurima putrida mucumque dejecit, & poſt decem dies optimè valuit.

Poſſunt etiam Petechiæ inter variolas in cute eſſe: quod æſtate anni 1761 vidi, qua

qua tempeſtate variolæ populares, harumque aliæ diſcretæ, aliæ confluentes erant.

AEGROTUS XCIII.

Anno 1761 fine menſis Julii puella annos 12 nata, quaſi febre putridâ laborabat. Ob quam medicamenta purgantia enemataque accepit; quæ multa putrida ſubtraxerunt.

Provenerunt in univerſa cute multæ Petechiæ; maximèque in internis brachiis: aliquosque poſt hæc dies innumeræ ubique variolæ parvæ & cohærentis quidem ſpeciei ipſas inter Petechias. Cum his urinam turbidam cum ſedimento, qualem jumenta mingunt, ægra emiſit: ex quâ novi, multa impura in imô ventre ſupereſſe.

Ob quæ, quoniam verebar, ne variolæ, quæ per ſe ſatis malæ erant, peſſimæ atque gangrænoſæ forent, protinùs unaquâque horâ duo cochlearia mixturæ, ex

aqua-

aquarum destillatarum unciis quinque, & succi citrei atque syrupi rubi idæi unciâ ingessi, adjectis extracti corticis peruviani drachmis tribus; scilicet ut isto auxilio sanguinem tueri contrà putredinem possem, donec benè impletæ ad suppurationem usque variolæ essent.

Verùm in his quidem variolis factum nullum pus est; sed tales, quales hucusque fuerant, triduo manserunt: earum enim pus non coctum, sed veluti aqua fontis, ammistâ aliquâ exiguâ lactis portione erat: neque ipsæ variolæ intumuerunt, sed rugosæ mollesque extiterunt; â quibus flaccida omnis cuticula facilè secessit.

Quare iterum ad extractum corticis peruviani recursum est; idque unaquâque horâ, donec variolæ siccæ fuissent crustasque demisissent, præstitum est.

Sic ægra optimè convaluit ſine ullo in cute vitio. Finitoque morbo alvum pharmaco ter ſubduxi, â quo multa putrida deſcenderunt. Inde etiam urina, quæ urinæ jumentorum ſimilis antè fuerat, iterum tenuis limpidaque evenit.

Aegrotus XCIV.

Paulò poſt, initio menſis Auguſti puer triennis variolis diſcretis, inter quas multæ Petechiæ circumſcriptæ potiſſimum in internis brachiis erant, laborabat.

Non adeò nunc iſtum quidem morborum conventum metuebam: cùm quoniam ipſæ variolæ diſcretæ erant; tùm quoniam prior curatio benè ſucceſſerat. Julapium verò cum ſucco citrei nitroque & ſyrupo rubi idæi præſtiti, & enema quotidie imperavi; ſcilicet, ut his, quidquid putridi infimus venter haberet, corrigerem, ali-

quam-

quamque ejus portionem continuò ſubducerem; donec variolæ plenæ proximèque ſuppuraturæ eſſent.

Cùmque vidiſſem; bonæ iſtas variolas notæ eſſe, benèque ſuppurare, utique, propterea quòd fauſtus morbi exitus apparebat, omnem medicinam dimiſi; ægerque, quaſi nullas Petechias haberet, convaluit.

Aegrotus XCV.

Tertium deinde ægrum accepi 13 annos natum, plethoricum, & genere nervorum permobili. Hic protinùs calore exarſit inque eo vehementer deliravit: poſteaquam vero ſanguinem è venâ miſit, reſipuit.

Erat altero die urina jumentorum ſimilis, inque cute multæ Petechiæ. Ob quas

quotidie enema imperavi, quod multa putrida ſubtraxit. Acceſſerunt quarto die variolæ diſcretæ neque adeo multæ.

At quoniam benignæ iſtæ quidem variolæ erant, neque æger ideo magis cum Petechiis quàm quidem ſine iisdem ægrotavit; rem utique naturæ omninò reliqui; diætamque præcepi, & potum tenuem liberaliter præſtiti: quæ ſecuta perfecta valetudo eſt.

AEGROTUS XCVI.

Anno 1762 die 22 Januarii puer puellaque, quorum alter 4 altera 5 annos habebat, laborabant variolis plurimis, parvis, diſcretis, paululum ſuppreſſis, & quarum aliquæ cohærebant.

Altero morbi die, antequam ipſæ variolæ erupiſſent, etiam multæ in cute Petechiæ

techiæ extiterunt, in internis potiſſimum brachiis, circumque collum, ſupraque pectus & juxta femina: eædemque, donec perfecta variolarum ſuppuratio fuiſſet, integrè ſubſtiterunt.

Inclinato verò morbo & cùm finita ſuppuratio fuiſſet, ipſæ etiam Petechiæ factæ pallidiores ſunt; poſteaque omninò diſparuerunt, cùm ſiccæ variolarum cruſtæ â ſubjectâ cute decidiſſent.

His autem ægris non niſi diætam tenuem ordinavi, & coctam aquam præſtiti, quam plurimam biberent.

Notandum autem eſt; iſtos quidem ægros non pejus cum Petechiis habuiſſe; quàm qui ſimilibus variolis absque Petechiis laborant; neque ſingulare aliquod vitium propterea ſive accidiſſe ſive remanſiſſe; ſed facilè convaluiſſe eosdem, quaſi nullas cum variolis Petechias habuiſſent.

Si cum purpurâ, quam his temporibus Medici usitatô pleonasmô rubram vocant (sed rectiùs quidem papulas miliares rubras appellarent) Petechiæ sunt; hæ per easdem rationes submoveri debent, per quas Petechiis, si solæ eæ sint, succurri posse suprà posui.

AEGROTUS XCVII.

Anno 1760 die 22 Aprilis puella 5 annos nata subitò calore exarsit; inque eo manibus intremuit, & deliravit.

Ob quæ protinùs julapium ex aquâ florum sambuci succoque citrei & nitro & syrupo rubi idæi præstiti, & decoctum refrigerans, quod liberaliter biberet.

His proximo die aliquantum ex calore minutum est, at multæ in cute Petechiæ eruperunt; ex quibus aliquæ ùt lentes latæ erant,

erant, tanquam harum plures inter ſe convenissent. Quare ſerum lactis cum nitro & melle manè & veſperi ùt enema præcepi.

Die 3 inclinata quidem febris eſt; nihilominus plures in cute maximèque juxtà collum ſupràque & infrà axillas, ubi tenera cutis eſt, Petechiæ prodierunt. Propterea reſinæ jalappæ grana tria totidemque diagrydii ex ſyrupo florum perſicorum indidi; quæ multa putrida mucoſa ſubtraxerunt. Urina etiam jumentorum ſimilis evenit, & muci multum præcipitavit. Quarto item die ipſæ Petechiæ factæ magis pallidæ ſunt.

Verum etiam hoc ipſo die orta nova febris eſt, inque eâ papulæ miliares rubræ undique ex cute eruperunt: quæ poſtero die iterum evanuerunt; etſi febris eadem ſubſtiterit. Quare ægræ alvo ſerum lactis cum nitro & melle injici juſſi.

Nunc verò ægra in nonum usque diem omnia remedia respuit; intraque id temporis febre magis exarsit plurimasque iterum Petechias accepit: utique quoniam multa impura in infimô ventre supererant.

At ubi deinde ægra iterum ex syrupo laxante alvum octies deposuit, urinam rursum jumentorum similem emisit, atque febris & Petechiarum expers evenit. Supervenit decimo die alvi profluvium, quod multa putrida mucosa trahendo prosperam valetudinem restituit.

Sic paulò magis suprà (*l*) ægrotus, qui purpuram rubram (id est papulas miliares rubras) cum Petechiis habebat, simili ratione curatus est; tanquam is solis Petechiis laboràsset.

Ex

(*l*) Aegrotus LXXIX.

Ex quibus, quoniam ipſæ quidem Petechiæ morbos, qui ex receptâ intrà ſanguinem cauſâ orſi ſunt, ſi convenêrunt, neque vitiaverunt neque mutaverunt; veriſimile eſt, ipſum Petechiarum miaſma minimè in ſanguinem penetrare; ſed, quemadmodum ſuprà demonſtravimus, maximè in imô ventre manere.

Non inutile fortaſſis erit; ſi rariorem aliquam morborum conjunctionem hìc recitavero; Petechiarum nempè, quæ cum catalepſi convenerunt.

Morborum enim omnium minimè communis catalepſis eſt: quem, quoniam is quam rariſſimè prehendit, utique aliqui Medicorum ùt fictitium intuebantur. At ego iſtud quidem vitii genus, etſi hucusque non vidiſſem, nihilominus aliquando extitiſſe ideò non dubitavi, quoniam de eo viri fide digni ſcripſerunt: quamvis aliam,

ac iſti quidem authores, omninoque diverſam morbi cauſam eſſe ſemper putaverim. Nunc verò, poſteaquam morbum ipſe nuper vidi curavique, aliquantum magis & ejus indolem & qua ſubmoveri poſſit rationem ſcio: ſubjiciamque quid eundem, cùm Petechiarum morbo ſupervenerat, excuſſerit.

AEGROTUS XCVIII.

Anno 1764 die 7 Septembris vir 30 annos natus, macilenti corporis habitûs atque triſtis demiſſique animi, aliquantò magis incaluit, & capite doluit: ob quæ vena in brachio ſecta, extractaque aliqua ſanguinis portio eſt. Poſt hæc aliquandiu neque benè valuit, neque cibos deſideravit: deindeque os amarum accepit, cibos nauſeavit, & corpore infirmus evenit, arteriarum item pulſum & debilem & frequentem habuit, cum vomendi deſiderio.

Ex

Ex quibus judicavi, eum Petechiarum morbo affectum iri; maximèque, quòd iste morbus eâ tempestate & percommunis erat, & ipse æger suæ matri, quæ Petechias ante habebat, diu noctuque in morbo succurrerat.

Ob quam causam ægro tartarum emeticum præstiti; â quo multum bilis ore rejecit, aliquotque deinde dies alvum laxam sæpè deposuit. Præter hæc diætam tenuem & julapium refrigerans præcepi; potui verò dedi aquam adjecto succo citreorum. Hisque aliquibus adhuc diebus erectum sustinuit se.

Noctu deinde, quæ ab octavo in nonum morbi diem erat, adeò exitiosè habuit; ut eum sui ad proximum usque diem vix perventurum esse metuerint. In hac vitæ angustiâ ejus venam iterum secuerunt, & tria emplastra vesicatoria applicârunt;

quæ

quæ aliquantum profeciſſe videbantur. Se-
quente igitur die, cùm illuxiſſet, a-
ægrum acceſſi, peſſimè ſanè habentem:
narratumque ab his, qui circum erant, ac-
cepi; ægrum, quemadmodum nunc habe-
ret,ità noctu habuiſſe. Quem, cùm cu-
ratiùs contemplatus fuiſſem, catalepſi te-
neri vidi: veluti nunc dicam.

Supinus enim jacebat: univerſumque
corporis truncum â pelvi ad verticem us-
que rigidum, tetanoque firmum, habebat
neque potuit inferior maxilla ab ſuperiore
diduci; ſic enim ſpaſmo commiſſi utrimque
dentes erant: grandes item verſique dex-
trorſum oculi in unum veluti punctum fix-
hærebant, tanquam ibi locorum æger ali-
quid ſtudioſiùs intueretur: & ſiquidem
manum meam quaſi ictum inflicturus iſtis
oculis vehementiùs admovebam, palpebræ
aliquo modo nictitabant: inque oculis, id
quod album eſſe debet, roſeum erat, tur-
gidis

gidis ſanguine vaſculis: univerſa item corporis cutis magis, quam quidem ſano conſueverat, rubuit. Adeo facilem verò æger ſpiritum duxit; ut ex eo neque thorax, neque abdomen agitari viſum fuerit: at ubi aliquis ejus ori manum admovit, facilè ſpirare eum, aëremque, quem reddidit, calidum exire, ſentiebat. Abdomen (quod eò magis noſſe potui, quò macilentior æger erat) ſine motu, tenue, gracile, necquicquam molle erat: & ſiquidem in illud pugno impegi, æger per ſaltum expiravit. Cæterum is ſine ullo ſenſu erat: nam acceptâ aliquâ linteaminis portione cùm infrà nares eum titillâſſem, aut ſimile quid ſuprà oris labia molliter duxiſſem reduxiſſemque; ne minimum quidem ejus percepit: neque admoto naribus ſpiritu ſalis ammoniaci excitatus eſt.

Potui ejus membra pro lubitu movere; eademque ùt mollem ceram flectere; inque

que ſitu, in quo ea poſui, manebant. Manuum item digitos, quemadmodum volui, aut omnes ſimul, aut unum quemque ſigillatim modò magis modò minus vel flexi vel extendi; iidemque, in quo ſtatu eos ſivi, manſerunt: magis tamen, extenſi ubi ſunt, intra palmam inclinabant; ùt dormientis hominis digiti. Etiam in pugnum eos complicavi, modò autem carpum juxtà articulum flexi, modò extendi; modò cubitum, modò brachium elevavi, modò adduxi, modò abduxi, modò depreſſi, modò, quemadmodum gladiatoris, extendi: at illud, ubi extenſum ità fuit, proprio pondere, veluti mollis cera, lentè deſcendit. Crura item femoraque diducere, adducere, flectere, atque extendere, proùt volui, potui; ſicque manſerunt.

Aegri deinde truncum, qui, ùt ſuprà memoravi, rigidus erat, erexi. Sicque

æger,

æger, quemadmodum ſanus, ſedit; verſoſque dextrorſum oculos tenuit, tanquam ibi aliquid contemplans. Ejus caput antè flectere non potui, at in utramque partem vertere: quorſumcunque verò caput verſum eſt, tamen intenti in latus dextrum oculi manebant, veluti in unum ibi punctum fixi. Atque ità ſedentem aliquandiu reliqui. Cùmque deinde meam manum ejus thoraci admoviſſem, eumque gradatim & per intervalla repuliſſem; is tantundem, quantum volui, reclinatus, quemadmodum ceraceus homo, eſt; neque proprio pondere, etiam cùm pulvinari rurſum proximus venerat, relapſus ſed adhibitâ tandem manu demiſſus eſt.

Atque ità quidem æger per horam unam ſpectaculo fuit: intrà quod ejus vultus colore rubro per intervalla ſuffuſus eſt: & arteriarum pulſus frequens erat, atque æqualis univerſi corporis calor manſit.

ſit. At exeunte iſtâ horâ, quaſi aliquid eum ſtrangularet, habuit: vultu enim rubuit, magnosque oculos diduxit atque in altum tulit: ob quæ protinùs erectus ab adſtantibus eſt; ſicque tuſſiit convulſorio modo, exque hiante ore multum ſalivæ effudit. Poſt hæc iterum reclinato corpore demiſſus, aliquantum temporis, ùt ante, cubuit. Deinde ſubitò ad ſe rediit, veluti evigilans; adſtantesque circum contemplatus, quid ſibi velint, quæſivit; riſit, mactique animi non malè habuiſſe ſe, dixit; exque impreſſo libro, quem ipſi protinus obtuleram, omnia facilè legit, & ſine linguæ vitio pronunciavit.

Porrò eum rogavi, quâ ratione proximè ante acceſſionem habuiſſet? non malè habuiſſe ſe dixit; at viſum ante ſibi fuiſſe, quaſi multarum campanularum concentum modò audiret; modò gratum labentis aquæ ſuſurrum perciperet.

Poſt

Poſt hæc ejus corporis cutem perluſtravi; inque eâ innumerabilem omninò Petechiarum copiam perſpexi: præter eas in brachio dextro (ſcilicet in quò loco ante, ùt ſuprà dixi, ſecta vena conſtrictaque juſtò magis faſcia erat) â cubito ad carpum usque multò major Petechiarum numerus, quas inter ſparſæ multæ latæ, diffuſæque & aliquæ lateritii coloris erant, extabat; totumque iſtud brachium ab extremis digitis ad circumſtrictam juxtà cubitum faſciam usque intumuerat.

Quam ob rem enema purgans præcepi; quod, quoniam ſine profectu intus remanſit, proximè ſecuta potio purgans eſt, quæ noctu multa putrida ſubduxit: indeque poſtero die, qui morbi decimus erat, aliquantum & ex morbo & ex Petechiis minutum eſt. Arteriarum quoque pulſus magis plenus evenit. Ob quam

caufam, cùm ifta medicina profeciffet, eandem potionem laxantem iterum præftiti, quæ multa rurfum putrida fubmóvit. Sicque fequentibus deinde undecimâ duodecimâque diebus idem purgans exhibui; quod multa item putrida fubtraxit; exque his deletæ magis atque magis Petechiæ funt.

Acceffit mediâ nocte diei 13 delirium quod ad pofteram usque noctem continuavit, intràque id æger claufas iterum maxillas rigidamque cervicem habuit: at cùm proximè mens rediiffet, extractum corticis peruviani medicinæ adjeci; quod fecuta tranquillitas fomnusque eft.

Die 15 reverfa recta mens eft, & factus arteriarum pulfus lentus atque plenus eft; ægerque pofteaquam extracti corticis peruviani fesqui unciam affumferat, omnis

omnis inflammationis expers fuit: alvum etiam ſæpè laxam depoſuit, exque eâ multa putrida excuſſit. Inde benè habuit, atque arteriarum pulſum & magis plenum & magis lentum accepit, isque proximâ nocte, quemadmodum narratum accepi, potuiſſet quidem placidè dormire, niſi ridicula ejus phantaſmata ſomnum interpellâſſent.

Poſtero die magis ad integritatem perventum eſt, & mens conſtitit, & arteriarum pulſus lentus erat, & plurimæ ex Petechiis evanuerunt: corticemque peruvianum ſecutæ multæ ſedes putridæ ſunt, & noctu requies.

Die 17 edendi deſiderium, pulſus plenus, ſomnus noctu placidus: proximâ die 18 bona valetudo, fames denique. Tandem die 19 alvum rhabarbaro ſubduxi; quod cùm multa item putrida ſubduxiſſet,

æger ex toto convaluit; neque imposterum recidit.



CAPUT XI.

DE MORBIS HUCUSQUE INTERCURRENTIBUS.

Superest, ut aliquantò magis de iis affectionibus differam; quæ inter Petechiarum morbum, cùm is popularis erat, cucurrerunt. Harum duo potissimum genera extabant: alterum, quod sine Petechiis quidem erat, at omnes Petechiarum morbi ipsius notas ex toto habuit: alterum, quod aliqua tantum ejus indicia retinuit; plurima verò diversa, maximè autem ùt pleuritidis signa habuit; per quæ & facilè fefellit, & magis occidit. De illo suprà scripsi: de hoc nunc dicam.

Illud

Illud autem ante omnia noſſe expedit; fine anni 1762 atque initio anni 1763 poſt ſtatutam pacem cùm reverſi milites fuiſſent; multique ex his trans terras Moguntinas iviſſent, intraque easdem aliquandiu reſediſſent, rurſum Petechiarum morbum, qui ſuperiore æſtate atque autumno declinaverat, nunc iterum magis excitatum fuiſſe. Sive is allatus ab ægris militibus, traditusque noſtris incolis fuerit: ſive idem per ſe ità increverit; eo quod petechiale miaſma, quod ipſum inter nos ſupererat, nunc plura hominum corpora invenit, quæ vitioſa anni tempeſtas ante ad hunc morbum magis opportuna effecit. Erat enim ſuperioribus menſibus Auguſto, Septembri, Octobri, atque Novembri tempeſtas perhumida, continuæque pluviæ, & denſæ ſæpè nebulæ; per quas emollita utique & laxata hominum corpora muci plurimum intus confe-

S 3 cerunt,

cerunt, qui denique computruit, atque vagum morbi miaſma recepit. Quod utrumque veriſimile videri poteſt.

Utcunque ſit: illud magis ad rem pertinet, ſcire, illis temporibus iſtum quidem morbum & cum diffuſis potiſſimum Petechiis fuiſſe, & perexitioſum ſimul: ipſasque Petechias in aliquorum cute duos dies extitiſſe; ex aliorum verò cute, cùm vix apparuiſſent, protinùs receſſiſſe. Nonnullos etiam eodem morbo ſine Petechiis laboràſſe. Præterea iſtum morbum, quoniam par vitii cauſa erat, eandem, quam ſuperioribus annis, curationem recepiſſe.

Multos etiam iis temporibus pleuritide laboràſſe; quæ, quoniam non â vulgari cauſâ excitata erat, vulgarem etiam medelam non admiſit. Namque propterea quòd iſte quidem lateris dolor ortus â ſimili

ſimili cauſâ fuit, â quâ ipſe Petechiarum morbus provenit; debuit utique is eâdem, quâ ipſæ Petechiæ, ratione curari. Quâ ſine cauſæ cognitione nullam morbus â communibus auxiliis curationem recepit. Recepit verò eandem ab his, quæ Petechiis mederi poſſe, ſuprà dixi.

Ejus hæc conditio erat. Primùm ortum frigus cum eodemque acutus lateris ſive dextri ſive ſiniſtri dolor eſt: finitoque frigore excitatus calor eſt, qui continenter exarſit. Huìc dolori lateris tuſſis acceſſit, per quam tenax, ùt albumen ovorum, at rufa pituita excreta eſt. Reſpiratio denſa erat, & ſpiritus ob vehementem dolorem difficilis; inter hæc etiam tuſſis ſicca, quæ nihil emolita eſt, ægrum excruciavit. Arteriarum pulſus parvus, frequens, & veluti ſuppreſſus erat: qui poſt miſſum ſanguinem celer & plenus evenit.

Extractus ex aliorum venâ ſanguis magis, ex aliorum verò minus glutinoſus erat; nonnunquam etiam in cruſtam inflammatoriam coïvit. Cæterum, hujus quidem muci plus erat, ubi morbus jam inſedit, quàm ubi incepit.

Miſſus verò iterum iterumque ſanguis, & impoſita ſuprà dolentem partem fomenta emollientia, applicata item emplaſtra veſicatoria lata; atque julapia refrigerantia decoctaque emollientia cum nitro & multo oxymelle ſquillitico, ſcilicet quæ pleuriticos juvare conſueſcunt, necquicquam, etiam ubi ab ipſo morbi principio adhibita fuerint, profecerunt. Nulla namque ſputa cocta exiêrunt. Acceſſit quinto die delirium; magis intenta febris eſt; urina flammea evenit; ſecuta gangræna eſt, quæ ægrum die ſeptimo jugulavit.

AEGRO-

AEGROTUS XCIX.

Anno 1762 die 9 Decembris virum 40 annos natum ſubitò febris cum acuto ſiniſtri lateris dolore prehendit: ob quem miſſus è venâ multus ſanguis, præſtitumque decoctum emolliens eſt.

Quarto die, quo in auxilium vocabar, emota ſputa rufa tenacia ſunt, quæ poterant in longum trahi. Cum his magnus corporis calor, intentæque arteriæ erant, & denſa reſpiratio.

Protinus juſſi ſanguinem è venâ liberaliter mitti; qui denſam cruſtam quam proximè contraxit. Julapium item refrigerans præſtiti, ammiſto nitro cum multo oxymelle ſquillitico. Potui dedi aquam, in quâ molles herbæ decoctæ erant, adjecto nitro & oxymelle ſquillitico, quæ

æger liberaliter biberet. Infuper quatuor emplaftra veficatoria lata imperavi ; quorum latiffimum omnem doloris locum comprehendit.

Quinto die acceffit delirium, fextô applicata iterum quatuor emplaftra veficatoria funt. Septimo die æger gangrænâ extinctus eft.

AEGROTUS C.

Anno 1762 die 24 Decembris vir 50 annos natus ante diluculum friguit; fimulque affectum acuto dolore latus finiftrum eft : hunc fubfecuta tuffis eft fputum tenax rufum trahens, fpiritûs difficultas, magna febris, continuæque vigiliæ.

Miffus protinus è venâ multus fanguis floridus manfit : qui verò vefperi inde extractus eft magis, & qui altero die, adhuc

adhuc magis mucosus erat. Ab ipso verò morbi principio æger julapium acidum cum multo nitro & oxymelle squillitico accepit; aquam item, cui herbæ molles incoctæ erant, etiam ultrà satietatem bibit adjecto nitro & oxymelle squillitico: cibo verò sumsit hordeum ex aquâ coctum. Præter hæc imposita affecto lateri fomenta ex aquâ calidâ sunt. Cùmquè sanguis altero die iterum mucosus evenisset, etiam quatuor emplastra vesicatoria lata, quorum unum doloris locum tegit, applicata sunt.

Inde muci multum tussi extractum est. Accessit etiam tertiâ nocte somnus; & quarto die arteriæ quieverunt harumquè pulsus mollis extitit.

At quinto morbi die succrevit febris; intentæque arteriæ sunt; alienata mens est; urina flammea evenit; universi corporis

poris calor magis exarſit ; facta urina ru-
bra eſt : die ſexto æger floccos collegit
& ſeptimo gangrænâ jugulatus eſt.

Inſuper & illud ſcire refert ; nullum
ex iſtis quidem ægris privatâ aliquâ labe
antè vitiatum fuiſſe ; nihilo tamen minus,
etiam cum adhibitô protinùs eo auxiliô,
quod pleuriticos juvare ſolet , omnes
periîſſe. Ex quibus item patet ; diverſam
iſtius morbi fuiſſe & rationem , & diver-
ſam oportuiſſe medicinam.

Tales autem ægros eripere plus ne-
gotii erat. In hoc enim morbo præter
ea , quæ ſuprà poſita ſunt & in unoquo-
que acuto lateris dolore conveniunt , ad
hæc præcipuè attendendum erat ; ut
quarto die , eo quòd nullum ſputum co-
ctum hucusque proceſſit , ſuperiori jula-
pio extracti corticis peruviani tantum ad-
jiceretur ; quantum quotidie intrà unciam

aut

aut pâulò magis ſuprà conſtitit. Cum his enema, ammiſto ſale & melle, ſæpè injicere oportuit, quo alvus proflueret. Quodſi verò neque & hæc alvum movebant; addendum Sal ſive Glauberi ſive Seignette erat, donec fluxerit. Sic enim putrida colluvies, ſcilicet â qua morbus ipſe erat, interea ſubmoveri debuit, dum ejus reliquiæ cortice peruviano intus condiebantur; ne eæ corpus antè corrumperent, quàm omnes deſcendiſſent. At, ſi alvus per ſe liquida ſeceſſit, quod nonnunquam contigit, infrà moventibus auxiliis opus non erat. Deinde ſuperatô morbô ægri diu imbecilli manſerunt.

Quodſi verò ociùs, & ante quartum diem noſſe licuit, pleuritidem â tali cauſâ eſſe; citiùs etiam alvum movere expedivit.

At

At quoniam exitiofum in communi pleuritide alvi profluvium eſſe conſueſcit; isque, quem cauſæ origo fefellit, videri poſſet, quaſi ægros ducendo alvum in perniciem traheret; contrà verò aliùs, qui in iſto lateris morbo alvum non moviſſet, ægros exitio daret; nunc ea ſigna proponam, per quæ iſtud vitii genus â communi pleuritide dijudicari queat. Scilicet, ut ex iſtâ notitiâ, ſi quando idem morbus impoſterum futurus eſt, ſcire liceat, occurri quâ ratione poſſit.

Sunt autem iſta ſigna maximè talia. Si popularis eo tempore talis Petechiarum morbus eſt: ſi æger faciem neque rubram neque oculos ſplendentes, ſecùs ac ex vulgari pleuritide, habet: contrà verò, ſi ejus facies lurida, cutisque vel plumbea, vel flava, & oculi triſtes atque cavi ſint: ſi membra magis fatigata & univerſum corpus majorem, quàm in communi

muni pleuritide , laſſitudinem ſentiat : ſi arteriarum pulſus in principio debilis & frequens ſit ; aut , qui frequens & durus ante erat , deinde quarto die parvus eveniat , neque cum eo ſputum coctum proveniat : ſi quarto die lividus circum oculos limbus appareat : ſi ſputum tenax ruſum aut rubrum quolibet tempore excreetur : ſi ardente febre urina flava , aut inclinatâ febre rubra , aut jumentorum ſimilis eveniat : ſi vel orto per ſe , vel excitato poſt indita enemata alvi profluvio putrida colluvies mucusve deſcendat : denique ſi plures homines eâdem tempeſtate ità laboraverint , quos ſimilis curandi ratio ſalvavit ; indicio eſt, excitatam non â vulgari cauſâ ſed â privato quopiam vitio iſtam pleuritidem eſſe.

Non alienum inſuper erit ; aliqua curationum exempla afferre ; ex quibus paulò diluci-

dilucidiùs videri queat; huic morbo quâ ratione mederi conveniat.

AEGROTUS CI.

Anno 1762 die 26 Decembris fœmina 42 annorum ſubitò friguit & vehementer ſimul è latere dextro doluit. Ad hunc dolorem lateris febris acceſſit tuſſisque, per quam excreata pituita tenax & rufa eſt.

Miſſus protinùs liberaliter è venâ ſanguis floridus erat; idemque iterum iterumque extractus, quò magis morbi incrementum conſtitit, eò magis tenax & albus provenit. Cibus erat quam maximè tenuis & lenis; præcipuèque ſorbitiò, eaque ex ptiſanâ potiſſimum, aut cremor ptiſanæ datus eſt. Medicinæ dedi julapium ammiſto nitro & oxymelle ſquillitico: potui verò aquam, in qua molles herbæ

herbæ decoctæ erant, adjecto nitro & oxymelle squillitico. Lateri etiam, in quo dolor pressit, imposita fomenta sunt; & indita sæpè enemata ex sero lactis nitroque & melle.

His aliquantum quidem ex febre minutum est: nihilominus neque acutus dolor neque tussis esse desiit. Quare sex emplastra vesicatoria diversis corporis partibus applicari jussi; quorum latissimum doloris ambitum texit.

Neque verò etiam his cocta sputa sunt, sed rufa exierunt; facies lurida evenit & arteriarum pulsus celer; urinæ rubræ prodierunt; & alvo excreta maximè putrida erant. Accessit quarto die delirium, & genarum rubor ardorque, animi item inquietudo & corporis denudatio; urina etiam rubra evenit.

Quare ſuperioribus auxiliis extractum corticis peruviani addidi, cujus unciam intrà 24 horas ægra aſſumeret. Præter hæc injectum unoquoque trihorio enema purgans eſt.

His laxata alvus eſt; ex eâdemque multa putrida deſcenderunt. Et, cùm ægra diem ſeptimum, intrà quem conſtitutum exitium eſſe conſuevit, ſuperâſſet, inclinatâ aliquantum febre reſipuit. Ortum denique alvi profluvium eſt, quod plurima putrida traxit: cùmque ægra ſeptem extracti corticis peruviani uncias conſumſiſſet, die decimo convaluit absque ſputi coctione; victôque morbo aliquandiu perimbecilla decubuit. Deinde refecta eſt ſorbitionibus, & oleribus; ſic, ut diu nihil niſi molle & lene ſumſiſſet.

AEGROTUS CII.

Anno 1763 die 8 Januarii vir 40 annos natus è latere dextro, quartam inter & quintam coſtam veram, vehementer doluit. Hunc dolorem ſecuta tuſſis eſt, ſpiritus gravis, continuæ vigiliæ, cibi faſtidium: arteriarum item pulſus parvus erat, & faciei cutis cineracea, & oculi retracti. Urina verò flava ſeceſſit, & cum vomitu ſæpè bilis.

Miſſus è venâ ſanguis floridus erat; at altero tertioque die mucoſus ex aliquâ parte tenuem cruſtam contraxit.

Ab ipſo autem morbi principio præſtitum julapium acidum eſt cum oxymelle ſquillitico & nitro; potuique data aqua cocta ex mollibus herbis, adjecto nitro & oxymelle ſquillitico: impoſiti item fotus

emollientes affecto lateri ſunt. Cibo verò ſorbitiones.

Emota cum dolore ſputa tenacia ruſaque ſunt: & elevatus tertio die arteriarum pulſus eſt; idemque celer evenit; acceſſit delirium & præcordiorum gravitas.

Juſſi affectam lateris partem emplaſtro veſicatorio tegi; taliaque tria aliis corporis partibus imponi. Præter hæc enemata ex ſero lactis nitroque & melle ſæpe imperavi: queis ſubtracta putrida ſunt.

Quoniam verò etiam die quarto ſputa cocta non provenerunt, mensque magis alienata & aridæ fauces fuerunt, atque calor exarſit; verebar, ne æger die ſeptimo gangrænâ jugularetur. Quare ſuperiori julapio extracti corticis peruviani

ni dimidiam unciam ammiſcui; ſic, ut hujus auxilii unciam 24 intrà horas æger aſſumeret.

Interea alvus poſt adhibita enemata laxa evenit; ex eâdemque multa putrida deſcenderunt: inclinatâque poſt diem ſeptimum febre æger reſipuit; & victo denique morbo, poſteaquam is extracti uncias octo conſumſerat, decimo die convaluit.

Cùmque imbecillus æger aliquantum levatus & cibo molli pluribus diebus refectus fuiſſet; ei, cùm ſatis validæ vires eſſent, purgans pharmacum præſtiti, quod quamplurima juxta ac maximè putrida ſubtraxit.

Aliquos deinde dies integros perſtiti; ut æger quieſceret. Poſteaque purgans rurſum pharmacum exhibui, quod multa

item putrida ſubmovit. Inde rediit faciei flos decorque. Tuſſis etiam, quæ ſputum crudum hucusque traxerat, nunc deſiit.

AEGROTUS CIII.

Anno 1763 die 8 Januarii mulier 40 annorum peracuto lateris dolore aliquandiu laboraverat, cum ſpirandi difficultate, & tuſſi aridâ, & celeri arteriarum pulſu, linguâ aſperâ, & ſummâ febre.

Juſſi venam iterum iterumque ſecari; ex quâ extractus ſanguis mucoſus eſt. Simul etiam julapium cum nitro & oxymelle ſquillitico præſtiti; potui dedi aquam coctam ex mollibus herbis adjecto nitro & oxymelle ſquillitico: cibo verò ſorbitiones. Læſo item lateri fomenta herbarum ex aquâ calidâ impoſui.

His

His ſputum tenax & rufum emotum eſt. Quarto verò die enema imperavi ; â quo ſubducta putrida ſunt.

Quoniam verò nullus ex his profectus erat, ſuperioribus auxiliis extractum corticis peruviani adjeci.

Proximo die ortum largum alvi profluvium eſt ; quod multa putrida ſubduxit. Cùmque ægra corticis peruviani aliquanto plus aſſumſiſſet , plurimaque putrida dejeciſſet, minus è latere doluit ; & paulò poſt , adhibitis iisdem auxiliis , convaluit.

AEGROTUS CIV.

Anno 1763 juvenem 26 annos natum, plethoricum, & qui venæſectionem, cui aſſueverat, hucusque intermiſit, die 8 Januarii protinùs acutus intrà quartam quin-

tamque coſtam dolor prehendit; quem febris & tuſſis & ſpirandi difficultas excepit.

Hujus venam ſecari juſſi; ex eâdemque, quoniam ità per vires licuit, ſanguinis uncias 24 extraxi; qui floridus manſit. Etiam julapium præſtiti cum nitro & oxymelle ſquillitico; potui dedi aquam coctam ex mollibus herbis ammiſto nitro & oxymelle ſquillitico. Fotus item ex tinctis in aquam calidam herbis emollientibus læſo lateri impoſui.

Acceſſit delirium, vigiliæque. Ob quæ altero die miſſus iterum ad 12 uncias ſanguis eſt, veſperique ob eandem cauſam, & quoniam ſatis validæ vires erant, tantundem ſanguinis extractum eſt. Is mucoſus & ex aliquâ parte cruſtâ inflammatoriâ tectus erat. Indita etiam enemata ſunt; quæ ſecutæ ſunt dejectiones putridæ.

Prodiit

Prodiit ſputum tenax rufum; quo quidem nihil ex acuto lateris dolore minutum eſt. Ob quam cauſam quatuor emplaſtra veſicatoria lata, quorum unum læſam partem comprehenderat, applicari juſſi. Cùmque neque & hæc profeciſſent; die quarto extractum corticis peruviani ſuperioribus remediis adjeci; ſic, ut ejus unciam æger quotidie aſſumeret. Præter hæc injecta ſæpè enemata ſunt, quæ multa putrida ſubtraxerunt. Nonnunquam etiam urina jumentorum ſimilis evenit.

Cùmque ex his levatus æger fuiſſet; Salis Seignette portionem ipſi cortici peruviano adjunxi; quo excitatum putridum alvi profluvium, exque eo minutus lateris dolor eſt, & ſputum deſiit, ægerque die duodecimo ex toto convaluit.

Aegrotus CV.

Anno 1763 die 6 Februarii virum annos 50 natum frigus cum eodemque acutus in latere finiſtro inter ſuperiores coſtas dolor malè habuit. Finito frigore ortus calor eſt, qui continenter exarſit. Acceſſit acerba tuſſis & ſpirandi difficultas. Erat arteriarum pulſus frequens atque exilis, fœdi oculi, pallida facies, lugubris aſpectus.

Protinus ſanguinem è venâ iterum traxi; qui aliquantum mucoſus extitit. Item in quâ parte dolor preſſit, eam mollibus herbis ex aquâ calidâ continuò foveri juſſi, julapium cum nitro & oxymelle medicinæ dedi; potui verò aquam coctam ex mollibus herbis ammiſto nitro & oxymelle ſquillitico. Præter hæc diætam tenuem imperavi.

His

His die 4 aliquantum quidem ex dolore minutum eſt. Sputi autem nonnihil, idque rufum atque tenax emotum eſt.

Ortum deinde putridum alvi profluvium eſt; quod adjecto Sale Seignette continuavi.

Nihilominus perinfirmum corpus erat, & fatigata membra, & facies lurida, & ſpiritus gravior, & doloris quicquam in latere, & tuſſis arida quæ nihil emolita eſt.

Ob quæ die 6to ſuperioribus auxiliis corticis peruviani extractum ammiſcui; quod ægrum, interea cùm putrida continenter dejeciſſet, magis atque magis eripuit.

Die 13 poſt quatuor extracti corticis uncias æger benè habuit, tuſſis atque doloris

loris expers: cibos rurſum deſideravit, prodierunt oculi, & reverſus faciei decor eſt. Deinde alvum pharmaco purgavi; ut, ſiquid putridi intus remanſiſſet, idem ſubtraheretur.

Horum etiam ægrorum unus ſopore, ût in ipſo Petechiarum morbo, correptus erat.

Aegrotus CVI.

Scilicet anno 1763 die 1 Februarii juvenis 24 annorum ſimili dolore ſuperiores dextri lateris coſtas inter excruciabatur; quem ſubmovere neque extractus iterum iterumque è venâ ſanguis, neque fomenta aquoſa, neque julapia, neque decocta herbarum mollia, neque nitrum neque oxymel, neque impoſita lata emplaſtra veſicatoria poterant. Secutum nullum ſputum eſt; & ſiquod provenit, illud ſine profectu tenax atque rufum erat.

Ortum

Ortum die 6 putridum alvi profluvium eſt ; quod ad morbi finem usque continuavit.

Acceſſit delirium ; & die decimô profundus ſomnus, qui ægrum, quemadmodum in ipſo Petechiarum morbo, in diem ſeptimum decimum usque tenuit: finitoque iſto ſomno æger cibos, etſi perimbecillus adhuc, appetiit.

A quo autem tempore alienari mens cœpit ; quotidie, donec de ſalute conſtitiſſet, extracti corticis peruviani unciam dimidiam præſtiti ; ſuperatoque morbo alvum pharmaco iterum iterumque ſubduxi.

Alius item cum iſto lateris dolore ipſas diffuſas Petechias habuit ; & die ſeptimo deletus eſt.

Noſſe autem licet ; nullum â ſputo ipſo beneficium fuiſſe : nam neque melius habue-

habuerunt, qui multum, quàm qui parum excreârunt. Neutrumque coctum erat. Alii enim morbum ſuperârunt, & ſpuere deſierunt, ſecunda valetudo ubi reverti cœpit; alii cum multo ſputo, ad tres quotidie libras, periêre. Extincti verò omnes ſunt, quorum ſanguis, quò magis morbus inſedit, eò plus cruſtæ inflammatoriæ confecit; aut quorum cruſta, quò ſanguinis plus miſſum eſt, eò durior evenit. Veluti nunc unum præ cæteris exemplum ponam.

AEGROTUS CVII.

Anno 1763 die 21 Januarii virum 43 annos natum vehemens in latere ſiniſtro quartam inter & quintam coſtam veram dolor preſſit cum febre, tuſſi, ſpirandi difficultate & vigiliis.

Extractus protinùs multus è venâ ſanguis floridus extitit; miſſusque iterum

muco-

mucoſus evenit; denuò miſſus cruſtam inflammatoriam habuit; & qui rurſum extractus rurſumque eſt, duram magis, magiſque duram cruſtam accepit.

Ab ipſo autem morbi principio præſtitum julapium cum nitro & oxymelle ſquillitico eſt, potusque ex aquâ cui molles herbæ incoctæ erant, adjecto nitro & oxymelle ſquillitico: ſic, ut æger 24 intrà horas octo ferè oxymellis uncias aſſumſerit, ſeptem ità diebus. Impoſiti etiam ſuprà affectam partem fotus ex herbis mollibus ſunt, priùs in aquam calidam tinctis. Præter hæc interdum enema refrigerans injectum eſt.

Cùm verò lateris tormentum tertiò die non remiſiſſet, applicata quinque emplaſtra veſicatoria lata ſunt; ex quibus unum omnem doloris ambitum contexit.

His

His minutus in latere dolor eſt; plurimumque ſputum tenax ruſum, ultrà libras duas quotidie, emotum eſt; idemque ſic in diem ſeptimum usque continuavit.

Interea autem temporis dolor, cùm is latus dimiſiſſet, abdomen ex adverſâ parte occupavit; ægrumque excruciavit. Poſteaquam verò inditis ſæpè enematibus extracta multa putrida plurimusque mucus fuit, etiam iſtud tormentum eſſe deſiit.

Quarto autem morbi die arteriarum pulſus exilis evenit, & æger perimbecillum corpus accepit, retracti oculi ſunt, facta lurida facies eſt, & frigido ſudore cutis immaduit. Ob quæ adjecta quotidie ſuperioribus remediis extracti corticis peruviani uncia eſt.

Deinde

Deinde die 6 rurſum febris vehementer exarſit; miſſusque intra eam ſanguis albus tenax in cruſtam coriaceam, quæ diſcindi non potuit, coïvit. Dieque 7 æger gangrænâ jugulatus eſt, multum hucusque ſputum tenax rufum reddens.

Atque iſtud quidem pleuritidis genus exeunte menſe Februario anni 1763 deſiit; ipſæ autem Petechiæ modò diffuſæ modò circumſcriptæ, etſi non percommunes, tamen aliquandò poſterioribus annis eſſe continuârunt.

Et Petechiarum quidem ratio talis eſt: quas omnium Scriptorum primus FRACASTORIUS memoriæ prodidit; cùm anno 1505 & 1528 in Italiâ populares fuerunt: etſi eæ in cæteris Regionibus, ùt Cypro & vicinis Inſulis familiares & diu ante ibidem cognitæ fuiſſent. Neque ignoro, quosdam dicere; FRA-


CASTORIUM latiùs quidem & dilucidiùs iſtum morbum deſcripſiſſe; nihil tamen reperiiſſe, quod non â vetuſtiſſimo authore HIPPOCRATE paucis verbis comprehenſum ſit. Oportet autem neque recentiores viros in his fraudare, quæ vel repererunt, vel rectè ſecuti ſunt; & tamen ea, quæ apud antiquiores aliquos poſita ſunt, authoribus ſuis reddere. Neque tamen dubitari poteſt; quin HIPPOCRATES, etiam qui minimos morbos annotaverat, ipſum utique Petechiarum morbum, ſi fuiſſet, curatiùs deſcripſerit. Ob quæ judico; iſtum Petechiarum morbum antiquiſſimis olim temporibus non fuiſſe. Aſpretudines enim morſibus culicum ſimiles, de quibus ipſe HIPPOCRATES in ſuis de morbis popularibus atque coacarum prænotionum libris ſcripſit, adeo diverſæ â Petechiis ſunt; ut ſupervacaneum ſit; ideò

ideò cum iis controversiam inire, qui istas aspretudines pro Petechiis habere volunt.

FINIS.



SERIES CAPITUM.



Sequentes in officina typographica aulica Macklottiana impressi vel brevi litteris exscribendi libri tam in ipsius bibliopolio aulico, quam in aliis celebribus indigenis & extraneis bibliopoliis statim vel brevi tempore inveniri possunt.

S*choepflini* (Joh. Dan. Historiographi Franciæ) Historia Zaringo-Badensis, tomus I, II, III, IV, V & VI cum multis figuris ære incisis, med. 4. Charta scriptoria 1763 - 1766. 45 fl.

- - - Tomus VII & ultimus sub prelo.

de *Schmidt* (Frid. Sam. Consiliarii intimi legationum Serenissimi Marchionis Bada-Durlacensis) opuscula, quibus res antiquæ præcipue Aegyptiacæ explanantur, 8. Carolsr. 1765. Charta scriptoria. 1 fl.

- - - dito tomus II sub prelo.

Hic tomus & sequentes continebunt ea scripta, quæ perillustris academia regia inscriptionum & liberalium artium Lutetiæ Parisiorum decem continuis annis, præmio digna judicavit.

Dissertatio quarta tomi primi de commerciis & navigationibus Ptolemæorum præmium tulit A. 1762.

Tomus secundus continebit scriptiones de cultu animalium apud Aegyptios,

de

de ſacerdotibus & ſacrificiis Aegyptiorum. De eorundem regibus & militia.

In ceteris voluminibus illæ diſſertationes occurrent, quæ agunt de Oſiride, Iſide, Horo, Harpocrate, Anubide, Serapide, Nilo, Canopo, Typhone ac de pluribus aliis minoribus Aegypti Numinibus.

Obereidii (Jac. Herm.) univerſalis confortativa medendi methodus, diſquiſitio nova, med. 8. Charta ſcriptoria 1766. Sub prelo.

Daïra Hiſtoire Orientale, en quatre parties, II Tomes; nouvelle Edition, 8. à Amſterd. & ſe trouve à Carlsrouhe 1764. 1 fl.

les *Revers* d'Ariſtobule Philoſophe grec. ſuivis d'un abrégé de la vie de formoſe, 8. 1762. Charta ſcriptoria. 15 kr.



ERRATA.

Pag. 15 lin. 5 ut [] plurimum *lege*: utplurimùm

pag. 31 lin. 13 futurum *lege*: facturum

pag. 34 lin. 7 Hi *lege*: His

pag. 79 lin. 5 per ſordida *lege*: perſordida

pag. 88 lin. 18 petechias *lege*: petechiæ

pag. 114 lin. 6 comeſtique *lege*: comeſtisque

pag. 122 lin. 17 ex purgatâ *lege*: expurgatâ

pag. 188 lin. 17 medias *lege*: mediis

pag. 201 lin. 3 per multa *lege*: permulta

pag. 204 lin. 5 peruvianâ *lege*: peruviano

pag. 213 lin. 21 tophicum *lege*: tophi cum

pag. 245 lin. 12 medicina *lege*: medicinam.